FRAUSTADT

ENCOMIORUM IN LITTERIS GRAECIS USQUE AD ROMANAM AETATEM HISTORIA

ENCOMIORUM IN LITTERIS GRÆCIS USQUE AD ROMANAM ÆTATEM HISTORIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

GEORGIUS FRAUSTADT
DAHLENSIS.

LIPSIAE
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
MCMIX.

RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

LIPSIUS ET **BETHE**

LIPSIAE D. XVIII. M. IUNII A. MCMIX.

PROCANCELLARIO

KŒSTER.

Parentibus carissimis.

A. Exordium.

Encomia Graeca tam diu conscripta sunt, quam diu litterae Graecae fuerunt. Ac primum quidem in poesi exsistunt; sed paulo ante, quam encomia prosae orationis exhibentur, ipsa memoria encomiorum poeticorum, quam nos quidem teneamus, evanescit; et quod postea a scriptoribus Alexandrinis et a Romanis poetis illos imitantibus „encomia“ poetica exhibentur, aut ab ipsis encomiis prosae orationis pendent, aut certe nulla ratione cum veteribus encomiis poeticis conectuntur. A primo igitur disceptationis, quam instituimus, duae partes possunt discerni, 1. ad poetica, 2. ad prosae orationis encomia pertinentes. Sed haec altera pars longe maior est et, cum historia encomiorum prosae orationis sit inde a quarto fere a. Chr. n. saeculo usque ad extremum litterarum Graecarum terminum, amplior est, quam ut angustis huius dissertationis finibus possim amplecti. Quare primum totam disceptationem contraxi illam circumscribendi propositi facultatem mihi assumens, quam admiserunt verba propositi a philosophorum Lipsiensium ordine anno 1906. promulgati: „usque ad Romanam saltem aetatem“. Quamquam etiam hoc propositum, ut melius perspiceretur, bipartito distribuendum erat. Affertur autem ratio dividendi ipsa memoriae condicione: encomiorum enim tradita memoria initio satis ampla eo ipso tempore interrumpitur, cum, quod nos quidem noverimus, primum, ab Anaximene scilicet et ab Aristotele, ratio encomiastica constituitur, ita ut illius tractatio optime hac tractanda concludatur. Ea autem aetate, quae sequitur, ratione tradita longe praeponderantur ipsa exempla laudationum. Hae igitur partes statuendae sunt:

I. Encomiorum poeticorum historia;

II. Encomiorum prosae orationis historia A; hac parte encomia Gorgiae, Isocratis, Xenophontis, aliorum, quae quidem usque ad annum fere a. Chr. n. 300. conscripta exstent, explicantur et Anaximenis et Aristotelis rationes laudandi exponuntur;

III. Encomiorum prosae orationis historia B; hac parte postremo disseritur de laudationibus aetatis inde ab anno fere a. Chr. n. 300. usque ad primum a. Chr. n. saeculum (i. e. usque ad Ro-

manam aetatem) pertinentis servatis encomiorumque reliquiis et de rationibus abundanter traditis et perquiritur, quae intercedat inter eas necessitudo.

Quodsi quaeris, qui adhuc de hac materia scripserint: de poeticis encomiis, si ἐγκώμιον idem intellegis, quod grammatici Alexandrini et qui nostra aetate enchiridia composuerunt vel de litterarum historia libros ediderunt, nemo fere quicquam conscripsit propter paucitatem potissimum fragmentorum; sin ἐγκώμιον idem intellegis, quod infra p. 20 interpretabor, tot libri de encomiis poeticis conscripti sunt, quot vix ulla alia de controversia: omnes enim huc referendi sunt libri ad Pindarum (et Bacchylidem) eiusque artem pertinentes. Sed si historiam spectas, rursus etiam horum librorum multitudo minuitur; praeter singulos libros singulis locis allatos his in primis utar scriptis:

Crusius ἐγκ ... = Crusius apud Pauly-Wissowa, Realenzyklopädie etc. V, 2, 2581 sqq. (I—IV).

Drachmann p. ... = Drachmann, Moderne Pindarfortolkning, Kopenhagen 1891: cuius libri ad huius dissertationis paginas 21 sqq. in primis pertinent: pp. 208 sqq., 235 sqq. et argumenti pp. 322 sqq.

Jurenka p. ... = Jurenka, Entwicklung des griechischen Epinikion bis auf Pindar; Programm des k. k. öst. Staatsgymnasiums im IX. Bezirke Wiens 1895.

Pindari carminum locos adscribo Christii (maiore 1896 = minore 1904), Bacchylidis Blassii (1904) editionibus utens.

Alterius partis potissima opera haec sunt:[1])

Bruns, Das literarische Porträt der Griechen, Berlin 1896; qui encomia Alcibiadis, Cyri, Euagorae, Agesilai tractat; = Bruns p. ...

Leo, Die griechisch-römische Biographie nach ihrer literarischen Form, Leipzig 1901; qui Isocratis et Xenophontis et praesertim Alexandrinae et Romanae aetatum laudationes tractat; rationem quoque laudandi identidem explicat; Anaximenis vero et Aristotelis artes plane omittit; = Leo, p. ...

---

[1]) Recentiorum primus: Ricardus Volkmann, Die Rhetorik der Griechen und Römer, 2. Aufl. 1885, p. 314 sqq. encomiasticum genus accurate in conspectu posuit. Sed cum rationem et distributionem magis quam historiam explicet, liber eius a nostro proposito valde abhorrens plerumque praetereundus est. — Idem dicendum est de libro Theodori Burgess, epideictic literature, Studies in Classical Philology, vol. III p. 89 sqq., Chicago 1902. Hic enim encomiorum historiam nonnisi leviter tetigit interpretationi βασιλικοῦ λόγου eam subiungens (p. 113 sqq.) et in primis operam collocavit in ratione Romanae aetatis laudationum explicanda.

Neutrius liber ad encomia mythicarum personarum pertinet; Brunsius haec praeterit ut a proposito, quod ad solos aequales posse pertinere consentaneum est, aliena,[1]) Leo vero ea omittit, quia haud ad biographiam pertinent; ei autem, qui encomiorum historiam enarrat, certo respicienda sunt.

Quod etiam Huerthius fecit, qui primus eandem, quam nos, materiam tractavit strictim sane prolegomenis tantum libri, qui inscribitur:

Xaverius Huerth, De Gregorii Nazianzeni orationibus funebribus, diss. philol. Argentorat. select. ed. Keil et Reitzenstein, vol. XII., fasc. I., 1907; = Huerth p. ...

Initium capit hic libellus a schemate, quod dicitur, *λόγου ἐπιταφίου* a Menandro rhetore tradito (p. 4). Cuius ut melius intellegat structuram Huerthius „perquirit, quomodo eius dispositio orta sit.“ Haec vero disserens eo adducitur, ut et ipse historiam laudationum breviter complectatur, p. 6—32 (hanc partem Draesekius, qui censuram libelli scripsit, Wochenschrift f. Kl. Phil. 1907, 876 sqq., non tractavit). Sed cum totam hanc materiam in solum prooemium coartare ratione propositi coactus esset, factum est, ut eas res, quibus ego quidem multum tribui, velut iudicium Aristotelis, rationes rhetorum posteriorum diligentius tractandas, alia praeteriret. Quae ceteris in rebus inter dissertationes nostras intercedat ratio, ex iis ipsis intellegatur, quia longum fuit singula adnotare. Denique ut totius libelli rationis censuram agam, Huerthius nimiam tribuisse mihi videtur vim illis scriptis, quae casu quodam conservata sunt, proinde ac si ad formanda encomia plurimum valuissent. Velut nimii apud eum ponderis est Anaximenes Lampsacenus. Nam cum Aristotelem eius artem rhetoricam vix novisse vel, si noverit, ut inferiorem contempsisse verisimile sit (cf. etiam quae Wendlandius, Anax. v. Lamps. p. 40 de hac re disseruit), Huerthius simpliciter dicit: „Anaximenem sequitur Aristoteles“ (p. 18) et dispositionem, quam auctor ad Her. tradit „proficisci ex Anaximenis arte“ censet (p. 22).

Wendland, Anaximenes von Lampsakos, Festschrift zur 48. Versammlung der Philologen in Hamburg 1905; = Wendland, p. ...

Tertiae partis praeter Leonis et Huerthii scripta libri non possunt afferri, cum huius aetatis encomiorum historia continua tractatione nondum perquisita sit; librorum vero peculiares quaestiones spectantium singulis locis mentio fit.

---

[1]) Etiam poeticum encomium omittit; sed cf. prolegg. p. VII.

B. Tractatio.

Pars I. Encomiorum poeticorum historia.

1. Quae fuerit vis et ratio encomiorum apud grammaticos Alexandrinos.

Variorum fructuum, quos tamquam arbor fertilis Graecorum poesis lyrica tulit, sine dubio encomium eo potissimum eminet atque alicuius momenti est, quod longe ultra eam provinciam, quam initio tenuit, i. e. poeseos partem, latius patuit per prosam orationem praesertim posteriorum saeculorum. Sunt enim, qui censeant inventores, qui dicuntur, encomii prosae orationis, sophistas et in primis Isocratem (cf. Leo p. 91), poetas imitantes hunc novum campum, in quo exsultare posset oratio, rhetoribus tradidisse (cf. Immisch, RhM 48, 520; Wendland p. 81). Quo magis dolendum est, quod encomiorum lyricorum nihil nisi fragmenta admodum exigua ex veterum lyricae poeseos ruina servata videntur esse, cum reliquorum generum carminum veram speciem in primis paeanibus Pindari nuper nobis redditis multo facilius animo refingere possimus.

Sed re vera nondum de hac re nobis desperandum est. Nam Pindari epinicia servata breviter animo perlustrantibus complura nobis carmina offeruntur, quae ab ipso poeta encomia nominantur, velut Nem. I. (v. 7: *ἐγκώμιον μέλος*), Olymp. II. (v. 52: *ἐγκώμια μέλη*), Pyth. X. (v. 53: *ἐγκώμιοι ὕμνοι*, cf. v. 6: *ἐπικωμία ὄψ*); conferre licet etiam Ol. XIII 29: *ἐγκώμιοι στεφάνων τεθμοί*, vel Ol. X 77: *ἐγκώμιον ἀμφὶ τρόπον ἀείδετο* vel Nem. IV 11: *ὕμνου προκώμιον*. Quae carmina a poeta ipso voce *ἐγκώμιον* significata quomodo epiniciis inseri potuerint, eo magis quaerendum est, cum ex catalogo carminum Pindari cognosci possit exstitisse praeter epinicia librum encomiorum hoc ipso nomine significatum. Perscrutandum igitur esse puto cum quid intersit inter *ἐπίνικον* et *ἐγκώμιον*, tum quid omnino sit *ἐγκώμιον*.

Accedit altera difficultas. Hillerus (Herm. 21, 357 sqq.) enim demonstravit catalogum S(uidae) ex V(ratislaviensi i. e. Ambrosianae vitae catalogo) derivatum esse; inde verisimile fit *σκόλια*,

quae illic commemorata hic omitti videntur, in Ambrosiano catalogo encomiis inserta esse ut partem huius speciei (Hiller l. c. p. 367; Schröder, Pind. carm. p. 388.) Hoc etiam tenendum est, quamvis *σκόλια* non citentur nisi ante aetatem grammaticorum Alexandrinorum, cum Didymus ipse (schol. Nem. XI. p. 332 Abel: . . . *συντακτέον οὖν, φησὶν Δίδυμος, εἰς τὰ Παροίνια . . .*) *παροίνια,* i. e. *σκόλια* [1]) commemoret; nam etiam hac re probatur non id quod Engelbrechtius (de scoliorum poesi p. 92) putavit: scolia, cum in catalogo A non indicentur, ab Aristophane ceterisque grammaticis inter ceteras species distributa fuisse, sed: ab his iam scolia ut cohaerentem partem alicui speciei carminum subiunctam fuisse; et tum quidem opinari licet vix alteri inserta fuisse illa nisi encomiis. Hoc vero optime convenire dicere solent cum vi vocis *ἐγκώμιον,* cf. Hiller l. c.: „Das Wesen und die Bestimmung des *ἐγκώμιον* steht dem nicht im geringsten entgegen", vel Wilamowitz, Hieron und Pindar (Sitz.-Ber. Ak. d.Wftn. Berl. 1901, 1280 adn. 1), postquam de libro *ἐγκωμίων* et in primis de fragmento 118. scripsit: „das könnte also auch aus späterem rhetorischen Sprachgebrauche *ἐγκώμιον* genannt sein. Erst wenn man die voralexandrinischen Zitate von *σκόλια* hereinzieht (was auch mir unvermeidlich erscheint) werden es richtige Komoslieder." Hoc nobis verisimile esse potest — Alexandrinos minime hanc vim vocis spectasse putaverim; hi enim nihil aliud audiebant nisi meram laudationis significationem. Quod cum ex scholiis Pindari,[2]) tum ex reliquiis definitionum concludi posse existimaverim. Hae perpaucae sunt et his fere possunt comprehendi:

I. *ἐγκώμιον: τὸ ἐν κώμαις ᾀδόμενον · κῶμαι δὲ τὰ τοῦ δήμου συστήματα* (Et. Gud. 158, 21);

II. [*κῶμαι*] . . . . *δοκεῖ δέ μοι καὶ ὁ κῶμος ἀπὸ ταύτης ὠνομάσθαι τῆς κώμης καὶ τὸ ἐγκώμιον ἐπὶ νίκαις ᾀδόμενον* (Pollux On. IX 37);

III. *ἐγκώμιόν ἐστι ποίημα ἢ σύγγραμμα περιέχον τῶν νενικηκότων ἐγκώμιον ἐπ' αὐτῇ τῇ νίκῃ καὶ δι' αὐτὴν γεγονός* (Cramer, An. Ox. IV. p. 313, 32 sqq.);

IV. *ὕμνος ἐγκωμίου διαφέρει · ὁ μὲν ὕμνος ἐστὶ θεῶν, τὸ δ' ἐγκώμιον ἀνθρώπων* (Ammonius p. 139, Proclus p. 234, 14 sqq., W.,

---

[1]) cf. Procl. chrest. B 245 W., quem locum ad Didymum referre solent: *τὸ δὲ σκολιὸν μέλος ᾔδετο παρὰ τοὺς πότους · διὸ καὶ παροίνιον αὐτὸ ἔσθ' ὅτε καλοῦσιν.*

[2]) Saepe *ἐγκώμιον* ponitur tantum pro *ἐπινίκῳ*, cf. schol. Ol. I 26e Dr., Pyth. I 112, II 125 Bckh., al. — unde nihil concludi potest; sed exstant loci, unde illam laudandi significationem voci *ἐγκώμιον* subesse praeclare apparet, velut schol. Ol. I 174 f Dr., schol. Pyth. I 179, VIII 136, XI 21, fortasse et 63 Bckh., al.

Thomas Mag. p. 561; sed cf. etiam Eust. ad Dionys. Perieg. 1181 = Geogr. Gr. Min. II 407 Müller);

V. *ἐγκώμιον*: — *παρὰ τὸ ἐν κώμαις ᾄδεσθαι· κώμας δὲ ἔλεγον οἱ παλαιοὶ τοὺς στενωποὺς καὶ τὰ ἄμφοδα. Ἤρχοντο γὰρ τῇ νυκτὶ οἵτινες παρά τινος μεγιστᾶνος ἐβλάβησαν· καὶ εἰς τὰ ἄμφοδα ἱστάμενοι ἐκακολόγουν καὶ ὕβριζον τὸν ἀδικοῦντα . . . καὶ εἰς τὸ ἔπαινος καὶ ψόγος* (Et. M. 311, 26 sqq.);

VI. *ἐγκώμιον λέγεται τῷ τοὺς παλαιοὺς ἐν κώμῳ τινὶ καὶ παιδιᾷ τὰς εἰς θεοὺς εὐλογίας ποιεῖν* (Theon, rhet. Gr. II 109, 23 sqq. Sp.);

[VII. *ἀπὸ τοῦ κώμου τὸ ἐγκώμιόν ἐστι νοητέον* (schol. Nem. II 37)].

Sed haec omnia admodum parvi pretii sunt, praesertim cum omnibus fere his interpretationibus falsa quaedam etymologia vocis *ἐγκώμιον* subiecta sit (vide sub I. II. V. cf. Hes. Op. 344 et Steph. Byz. s. v. *κώμη* p. 401, 1 M.), ita ut id quod viri illi docti (Hillerus, Wilamowitzius) voluerunt, eis qui haec scripserunt, nullo modo possit vindicari. Ex IV. nihil lucramur ad hanc quaestionem diiudicandam. Theonis verba ad grammaticos illos dispositores non posse referri inde facile intelleges, quod illi secundum caput IV. (cf. iam antea Plat. Pol. X 607 A) diligenter distinxerunt inter *ὕμνον* et *ἐγκώμιον* neque unquam *ἐγκώμια εἰς θεοὺς* scribi posse concesserunt, cf. quae Eratosthenes adnotat de *ἐπινίκῳ εἰς Ἡρακλέα*, schol. Olymp. IX 1 k Dr. p. 268, 14 sqq. Restant III. et VII.; hic recta vis vocis in ipso Pindari commentario exhibetur — neque tamen aut debilitat aut confirmat hic locus id quod supra opinati sumus. Contra ex III. aperte cognosci posse censeo *ἐγκώμιον* nil nisi laudationem intellexisse grammaticos. Sed hoc accuratius declarandum est. Illa enim definitione Kaibelius (die prolegomena *περὶ κωμῳδίας*, Abh. Gött. Ges. Wftn., phil.-hist. Kl., N. F. II. 1897, p. 34 sqq.) ostendit *ἐγκώμιον* et *ἐπίνικον* confundi, ita ut definitio ab *ἐγκωμίῳ* incipiens paulo post (*περιέχον κθέ.*) in *ἐπινίκου* significationem delabatur. Fortasse ratio quaedam intercedit inter has definitiones confusas et lacunam in Procli chrestomathia B 246 W. exstantem, qua definitio *ἐγκωμίου* plane excidit. *ἐπινίκου* vero definitio quae restitui possit: ⟨*ἐπίνικός ἐστι ποίημα*⟩ *περιέχον τῶν νενικηκότων ἐγκώμιον ἐπ' αὐτῇ τῇ νίκῃ καὶ δι' αὐτὴν γεγονός*, admodum similis est integrae cuidam definitioni a Photio ex Proclo exhibitae (Chrest. B 246 W.): *ὁ δὲ ἐπίνικος ὑπ' αὐτὸν τὸν καιρὸν τῆς νίκης τοῖς προτεροῦσιν ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἐγράφετο*; nam vocibus „post ipsam victoriam vel propter eam“ amplificari tantum vel accuratius explicari videtur „sub ipsam victoriae occasionem.“ *Ἐγκωμίου* sane definitio hoc loco excidit, sed videtur exstare vestigium, quod inest vocibus *ὑπ' αὐτὸν τὸν καιρὸν τῆς νίκης*, quibus, ut sunt expresse atque distincte dictae, opponi videntur *ἐπίνικος* et *ἐγκώμιον* ita, ut

ἐγκώμιον sit notio magis universa, *ἐπίνικος* vero ipsa victoriae occasione definiatur; in obscuro sane est, utrum etiam *ἐγκώμιον* ad victoriam pertineat (propter vocem admodum pressam: *αὐτόν*) necne. Fortasse *ἐπινίκῳ* et *ἐγκωμίῳ* oppositis idem fere discrimen spectatur, quod inter *ἐπιθαλάμιον* et *γαμήλιον* intercedere Didymus statuit (Bapp, Leipz. Stud. VIII 136 sq.), discrimen temporis: *ἐπιθαλάμιος μὲν τὸ ἐπὶ θαλάμου τῆς γαμουμένου γραφέν· γαμήλιον δὲ οὐ περιώρισται χρόνῳ* (Eust. Hom. Od. 1541, 49). Sed haec distinctio cum subtilior sit quam verisimilior, quia maior numerus epiniciorum, quae quidem adhuc exstent, non *ὑπ' αὐτὸν τὸν καιρὸν τῆς νίκης ἐγράφετο,* dubium est an Didymo tribuenda sit, quippe qui vix putari possit carminum ordinem Aristophaneum mutasse. Illa distinctio, qua *ἐγκωμίου* notio magis universa dicitur, Didymi videtur esse; nam ad eum potissimum referuntur Procli definitiones; quae distinctio adhuc apud viros doctos praevalet, cf. p. 17.

Sed haec omnia magis videntur spectare rationem quam usum; si quaeris quod discrimen re vera intercesserit inter epinicia et encomia in collectione carminum Pindari, vix poteris quicquam comperire. Illud minime potest probari, quod Wilamowitzius (l. c.) fragmenti 118. initium: *βούλομαι παίδεσσιν Ἑλλάνων* et Pyth. IX. initium: *ἐθέλω χαλκάσπιδα Πυθιονίκαν . . . γεγωνεῖν* comparat ut inter se similia; primae enim tantum vocis vi consentiunt et fragmenti 118. nihil nisi tres primae voces exstant. Quod de fragmentis encomiorum re vera affirmari licet, nihil fere est; ex fragmento 119. sequitur, ut etiam maiores Theronis commemorati fuerint: hic epinicii quoque *τόπος* est; de 120. sq. nihil certum, ne illud quidem, utrum encomii sit necne; fragmento 121. similis sententia exhibetur ac Nem. VII 13 sqq. Quod vero ex paucis his fragmentis nondum satis potest cognosci, id verisimile fit, si „scolia" encomiis adiungis:[1]) ne uno quidem verbo in „encomiis" victoriam commemorari. Hoc etiam aliunde confirmatur. In epiniciorum enim ordine etiam ea carmina posita sunt, quibus victoriae nonnisi tanguntur, cf. Nem. XI. et P. III. ab epiniciis aliena: sed cum paucis verbis ad illam alludatur, in hoc genere ponuntur. Si vero tota carmina differre videntur ab epiniciis, quid est, cur cum illis significando conectantur a grammaticis? Nihil aliud est causae, nisi: quod utrumque genus, quamvis diversum, eodem nomine dignum erat, nomine

---

[1]) Id quod de „scoliis", etiam de „encomio" Theronis existimandum esse mihi videtur, et nonnisi fortuna adversa factum esse censeo, ut difficultas illa diversae citandi rationis in *ἐγκωμίων* speciem irreperet, qua fragmenta dividuntur in *ἐγκώμια* (a grammaticis sic significata, cf. schol. Ol. II 16) et *σκόλια* (ante illos apud singulos scriptores exhibita).

ἐγκωμίου, i. e. laudatorii[1]) carminis. Hoc mirum videtur esse, si spectamus vim vocis, quam etiam grammaticos illos interdum perspexisse supra demonstravi. Sed expeditur haec difficultas, si sermonis consuetudinem aetatis Alexandrinae spectas. Ab altera enim parte voce ἐγκώμιον tum omnis laudatio, sive prosae orationis, sive poetica, quin etiam omnino laus quaedam significabatur, ab altera vero parte non iam plane evanuerat propria illa vocis ἐγκώμιον vis ad epinicium carmen pertinens; velut apud Pollucem ἐγκώμιον et solam ad victoriam refertur (IX 37), et iuxta ἐπίνικον commemoratur (IV 53). His locis optime ambigua vis vocis ἐγκώμιον illustratur. Sic facile potuerunt ἐπίνικοι proprie sic dicti sive subiungi encomiis latiore sensu sic dictis, quia ipsa interdum encomia nominabantur, sive opponi encomiis angustioribus finibus descriptis, quia ipsis iam ἐπινίκοις propria significatio erat.

Veram autem causam totius huius generum systematis, qua etiam illud, quod ipsum per se mirum est, explicatur, quod carmina ab ipso poeta ἐγκώμια nominata non encomiis subiunxerint grammatici, aperiri censeo, si rationem carminum in singula genera distributorum animo refinges. Hanc eam esse putaverim: in carminibus Pindari (de ceteris poetis encomiasticis nihil certi dici potest, cum pauca sint, quae de eorum carminum ordine traduntur), quae tum exstabant, magnus munerus erat laudationum hominum, i. e. ἐγκωμίων (cf. supra p. 9 sq. et Plat. Polit. X 607 A). Ex his facile ea separabantur, quae in mortuorum honorem scripta erant, h. s. θρῆνοι. Reliquorum multo maioris numeri in victorum honorem erant tituli; separabantur igitur quattuor libri ἐπινίκων (quae vox primum apud Pindarum ipsum, Nem. IV 78, exstat). Pauca tandem, quae restabant, carmina voce tum de omni laudatione usurpata ἐγκώμια nominabantur, quam vocem κώμου memoriam grammaticis movisse non potest credi, nisi ipsam etymologiam investigare cogebantur, velut in explicando quodam Pindari loco (cf. supra p. 10: VII.). In horum vero numero ne unum quidem carmen est, quod victoriam redoleat — scolia potius in honorem principum et clarorum virorum scripta praevalent. Retinebatur vero etiam vox ἐγκώμιον ad ἐπινίκους significandos, id quod ipse poeta fecerat;

---

[1]) Etiam „scoliis" laudari homines ex fragmentis facile intellegitur; quod per se elucet in fragmentis 123.—128.: alloquitur poeta et laudat Theoxenum (123), Thrasybulum (124; merum hoc esse σκόλιον, i. e. παροίνιον, cum ex toto contextu concludas, tum ex v. 2: μεταδόρπιον), Hieronem (125—128; ex 128. σκόλιον cognoscas); fr. 122. in honorem potius Xenophontis scriptum esse videtur, quam ut ipse laudetur — laudantur potius νεανίδες; sed cum ab ipso poeta nomine σκολίου (11) significetur, putant huc illud referendum esse. Dubium vero est, cum nesciamus, idemne sit apud Pindarum σκόλιον quod apud posteros.

quo factum esse puto, ut tamquam duo *ἐγκωμίων* genera efficerentur, alterum, quo latiore sensu omnia carmina laudatoria in homines composita epiniciis additis continebantur, alterum, quo cetera carmina laudatoria ab epiniciis seiungebantur.

Sed priusquam ipse vim vocis *ἐγκώμιον*, quid olim sonuerit et ad quae carmina pertinuerit, altius repetens explicem, aliam quandam rem accuratius considerem necesse est: *μέτρον ἐγκωμιολογικόν*.

2. De metro encomiologico.

Duae traduntur formae huius metri. Alteram Hephaestio 15, 10 (12) C. ab Alcaeo et Anacreonte adhibitam esse testimoniis confirmat (cf. PLG. III Alc. 94 et Anacr. 70, huc accedunt: Anacr. 71—74, Sapph. 29 = Crusius AL. 57 et 57 A). Plotius vero (Gramm. Lat. I 543, 26 sqq. K.) et Diomedes (ibid. 511, 4 sqq.) praeter hoc metrum, quod Stesichoreum appellant, quod vero in Stesichori fragmentis non iam potest inveniri, Archilochium noverunt, quod locis Horatianis confirmant; equidem nonnisi unum in Archilochi fragmentis (85) inveni, quod hanc formam praebet. Hae sunt duae illae species:

1. Stesichorea: — ◡ ◡ — ◡ ◡ — ⏓ — ◡ — ⏓
2. Archilochia: — ◡ ◡ — ◡ ◡ — — — ◡ — ⏓ — ◡ ⏓

Hoc metrum (praesertim prior forma) saepe nobis occurrit in Pindari carminibus, cf. exempli gratia ad Stesichoreum Isthm. I., ad Archilochium Pyth. III.; sed hic intexuntur potius haec metra et ex ratione potius metrorum dactyloepitriticorum explicanda sunt, quam ut metra propria et libera putanda sint; idem dicendum est de fragmentis 118. sqq., quippe quae „encomiis" subiungantur. Et cum etiam in hymnorum, paeanum, threnorum fragmentis exstent haec metra, dubium non est, quin ex hoc creberrimo apud poetas choricos usu nihil possit concludi. Quare in propria vi vocis et metri indaganda potius ad pauca illa fragmenta modo commemorata delegamur; sed ne ex his quidem quicquam lucramur. Hanssenius sane (Phil. 51, 232) certas res proferre posse sibi videtur: „Das Enkomion hat als Literaturgattung eine hervorragende Bedeutung. Hymnen zu Ehren der Götter, Enkomien zu Ehren der Menschen müssen als parallele Gattungen der Lyrik bei den Gastmählern der Äoler angesetzt werden: beide standen als feierliche, zu Anfang des Mahles gesungene Lieder in Gegensatz zu den heiteren Skolien. Im weiteren Sinne ist das Enkomion jegliches Lied zum Preise eines befreundeten Mannes; nur eine Abart der Enkomien sind die Epinikien, vgl. Bergk, GrLG. II. p. 168. Ließe sich der

enkomiologische Vers als „altes Charakteristikum dieser Literaturgattung erweisen, so wäre damit die historische Metrik der Griechen um einen wichtigen Schritt weitergerückt.“ Sed quamvis magno gaudio nobis esse deberet, si hunc in modum metrum illud encomiologicum quasi fundamentum esse versuum dactyloepitriticorum (quod Hanssenius vult) et ab initio maxime proprium encomiorum demonstraretur, tamen res hic premere, non hypothesin hypothesi imponere necesse est: neque enim unquam tradunt Aeolum carminum convivalium genus *ἐγκώμια* esse nominatum, neque opposita esse *ἐγκώμια* Aeolum aut hymnis aut scoliis; accedit, quod encomia tantum chorica exstitisse videntur, cum Aeolum etiam convivale carmen a singulis cantaretur. Dicendum potius nos de hac re nihil certi scire. Ac ne nomine quidem proficimus; Immischius quidem (Ursprung der Elegie, Philol.-Vers. Görlitz 1889, Verhdl. p. 374) nomen antiquum esse putat, — neque vero quicquam constat de tempore ortae huius significationis; poteris ad *ἐγκώμια λέγειν*, unde vox derivanda est (Crusius RE *ἐγκ.* II), comparare Aesch. Agam. 174: *ἐπινίκια κλάζειν*; antiquitatem igitur vox illa non respuit, non tamen, id quod hic necesse est, expresse prae se fert. Archilochi sane et Alcaei et Anacreontis fragmenta convivium significare videntur; sed etiam hoc fundamentum infirmius est, quam ut inde (quod fecit Crusius l. c.) choricorum encomiorum cum Aeolicis carminibus convivalibus affinitatem repetere liceat. Si hoc loco coniecturam proferre licet, coniciam versum illum antiquissimum quidem esse, significationem vero recentiorem nescio quo casu ortam, et propter ea non posse provocari a nomine ad originem metri encomiologici.

3. Quae fuerit vis et usus vocis *ἐγκώμιον* ante grammaticos Alexandrinos et quid sit omnino *ἐγκώμιον*.

Quoniam frustra grammaticos de encomiorum vi et natura consuluimus, immo contra statuimus significationes generum lyricae poeseos, quorum hic ratio habenda est, ab illis allatas, si non inter se repugnare, at certe obscuras et ambiguas esse, ita ut ex illorum adnotationibus nihil lucremur ad encomiorum historiam et in primis originem investigandam, ad priorum temporum scriptores refugimus. Sed etiam hic difficultas quaedam obstat nobis inquirentibus, cum iam ante illos inde a Gorgiae temporibus praeter encomia poetica exstiterint encomia prosae orationis vel cum, id quod idem est, etiam tum vis vocis *ἐγκώμιον* nimis detrita fuerit et in laudationis potius significationem abierit. Quare singula

testimonia accurate deliberanda sunt, priusquam inde aliquid certi concludi possit. [1])

Ac primum quidem Chamaeleontis clarum testimonium nobis offertur, quod exstat apud Athenaeum (XIII 573 F): *Πίνδαρός τε τὸ μὲν πρῶτον ἔγραψεν εἰς αὐτὸν* (sc. *Ξενοφῶντα*) *ἐγκώμιον, οὗ ἡ ἀρχή· τρισολυμπιονίκαν ἐπαινέων οἶκον, ὕστερον δὲ καὶ σκόλιον τὸ παρὰ τὴν θυσίαν ᾀσθέν* ... Quantum differat haec significatio carminum a grammaticorum systemate, inde cognoscas, quod carmen ab illo *ἐγκώμιον* nominatum, i. e. Ol. XIII., „epiniciis" insertum est, *σκόλιον* vero Chamaeleontis „encomiis" subiunctum fuisse ut cetera scolia verisimile esse supra dixi; illud profecto certum est virum doctum Peripateticum pro „epinicio" voce *ἐγκώμιον* uti ut propria huius carminis significatione.

Contra apud Aristotelem semper vis vocis *ἐγκώμιον*, si ad poesin pertinet, carmen laudatorium est vel carmen laudatorium ad homines spectans et hymnis deorum oppositum, cf. Poet. 4, 1448 b 27, ubi ex hymnis et encomiis effloruisse dicit epicam poesin; Rhet. II 11, 1388 b 21: *ζηλωτοί εἰσιν ... καὶ ὧν ἔπαινος καὶ ἐγκώμια λέγονται ἢ ὑπὸ ποιητῶν ἢ ὑπὸ λογογράφων*; Rhet. I 9, 1368 a 17: *καὶ εἰς ὃν πρῶτον ἐγκώμιον ἐποιήθη οἷον εἰς Ἱππόλοχον*; ipso hoc loco exspectaremus accuratiorem quandam descriptionem huius primi encomii: neque tamen certum est, utrum Aristoteles encomium poeticum an prosae orationis spectet, et si poeticum, utrum epinicium an omnino carmen laudatorium; cf. quae infra de hac re disseram p. 23 et p. 58 sqq.

Neque aliter res se habet apud Platonem: in Republica fit notum illud inter hymnos et encomia discrimen (X 607 A); contra Legg. VII 801 E etiam ad deos refert *ἐγκώμια*: ... *μετά γε μὴν ταῦτα ὕμνοι θεῶν καὶ ἐγκώμια κεκοινημένα εὐχαῖς ᾄδοιτ' ἂν ὀρθότατα, καὶ μετὰ θεοὺς ὡσαύτως περὶ δαίμονάς τε καὶ ἥρωας μετ' ἐγκωμίων εὐχαὶ γίγνοιντ' ἂν τούτοις πᾶσι πρέπουσαι* ... hic etiam omnino vocis *ἐγκώμιον* nihil relinquitur nisi vis laudandi. Contra in Ione (534 C) nominantur *ἐγκώμια* una cum dithyrambis et hyporchematis et (534 D) paeanibus epiniciis haud commemoratis et in Legg. libro VII. (822 B) *ἐγκώμια* aperte referuntur ad victoriam. Denique in Lyside (205 C sqq.) res ita se habet, ut carmen laudatorium ab Hippothale in Lysidem puerum compositum commemoretur, quod abundat locis epiniciorum laudatoriis, quo tamen victoria non celebratur; Socrates vero Hippothalem irridet dicens (D): *ὦ καταγέλαστε Ἱππόθαλες, πρὶν νενικηκέναι ποιεῖς τε καὶ ᾄδεις εἰς σαυτὸν ἐγκώμιον* ... et (E): ... *ἐγκώμιά σοι ἔσται ὥσπερ νενικηκότι*; quae verba Socratis

---

[1]) Omitto eos locos, ubi aperte sola encomia prosae orationis significantur.

non tam facete dicta essent, nisi ab initio, si vocem *ἐγκώμιον* audirent, ceteri qui audiunt de victoria cogitarent. In Xenophontis Agesilao (10, 3) etiam res encomiis subjectae tanguntur et priore loco victoriae, tum demum res praeclare gestae afferuntur: *ἐγκωμίων (δὲ) τί ἀξιώτερον ἢ νῖκαί τε αἵ κάλλισται καὶ ἔργα τὰ πλείστου ἄξια.* Sed cum hic locus etiam ad encomia prosae orationis pertinere possit, ad poetas comicos denique confugiamus et eos locos tentemus, quibus ad encomia poetica alludunt; duos inveni:

1. Tagen. fr. 5,1 (FCG II 1150 M) ab Athenaeo allatum (XV 677 B):
   τί οὖν ποιῶμεν; χλανίδ᾽ ἐχρῆν λευκὴν λαβεῖν
   εἶτ᾽ ἰσθμιακὰ λαβόντες ὥσπερ οἱ χοροὶ
   ᾄδωμεν εἰς τὸν δεσπότην ἐγκώμιον . . .
2. Nubes 1205 sqq.:
   ὥστ᾽ εἰς ἐμαυτὸν καὶ τὸν υἱὸν τουτονὶ
   ἐπ᾽ εὐτυχίαισιν ᾀστέον μοὐγκώμιον.
   „μάκαρ ὦ Στρεψίαδες
   αὐτός τ᾽ ἔφυς ὡς σοφὸς
   χοἷον τὸν υἱὸν τρέφεις“
   φήσουσι δή μ᾽ οἱ φίλοι χοἱ δημόται
   ζηλοῦντες ἡνίκ᾽ ἂν σὺ νικᾷς τὰς δίκας.

His locis *ἐγκώμιον* aperte ad victoriam pertinet.

His omnibus exemplis demonstratur saeculis quinto et quarto carmina epinicia *ἐγκώμια* dicta fuisse, non tamen ut carmina laudatoria, quae quidem in victorem componerentur (quamvis illis temporibus vocem *ἐγκώμιον* iam in laudandi vim abire eisdem fere exemplis illustretur), sed significatione epiniciorum quodam modo propria, cuius initia ex Pindari carminibus cognosci possunt. Sed erant etiam alia encomia, scilicet minoris, ut videtur, numeri et momenti; quorum materia quae fuerit, optime accidit, quod etiam nunc cognoscere possumus. Describitur enim tale encomium non epinicium in Platonis Lyside — est encomium illud modo commemoratum in puerum scriptum: *ἃ δὲ ἡ πόλις ὅλη ᾄδει περὶ Δημοκράτους καὶ Λύσιδος τοῦ πάππου τοῦ παιδὸς καὶ πάντων περὶ τῶν προγόνων, πλούτους τε καὶ ἱπποτροφίας καὶ νίκας Πυθοῖ καὶ Ἰσθμοῖ καὶ Νεμέᾳ τεθρίπποις τε καὶ κέλησι, ταῦτα ποιεῖ τε καὶ λέγει . . .* hoc vero merum epinicium esset, nisi caput ei deesset, i. e. ut ad victoriam pertineret. Et hisce omnibus illud profecto demonstrari videtur non epinicia esse partem encomiorum, unde et derivanda sint, sed *ἐγκώμια* esse genuinum nomen epiniciorum et quae inde fluxerint carmina non epinicia, sed epiniciis simillima, inde et ipsa encomia nominata esse; sic provincia vocis *ἐγκώμιον* paulatim dilatata est, et mox plane vim carminis laudatorii accepisse videtur.

Quare mira quadam ratione factum esse censeo, ut omnes fere, qui de epiniciis et encomiis scripserunt, grammaticos Alexandrinos secuti hanc necessitudinem inverterent, cf. exempli gratia locum illum dissertationis Hanssenii, quem supra p. 13 exscripsi, vel Rauchensteinii, zur Einleitung in Pindars Siegeslieder p. 21 adn.: „... sodaß ἐγκώμιον die allgemeine Benennung war, die auch das ἐπινίκιον in sich begriff, dann aber im engeren Sinne von solchen Liedern galt, in welchem nicht sowohl Siege in den Kampfspielen gefeiert als im allgemeinen Personen oder Gemeinwesen, auch wegen Kriegstaten, gepriesen wurden"; atque similem in modum Bernhardy, GL. II 640, Bergk, GL. II 167 („das Epinikion, eigentlich nur eine Spielart der Enkomien ..."), alii censent. Contra Flachius (Gesch. d. gr. Lyr. II 356) recte dicit: „die Epinikien und ihre Unterart, die Enkomien ...", cum Crusius (RE. ἐγκ.) nihil de hoc discrimine expressis verbis proferat, sed secundum prima verba (I.) ad illorum potius sententiam inclinare videatur. Sane nihil pertinet hoc discrimen ad aetatem posteriorem, qua omnia carmina, quae laudes continebant, voce ἐγκώμιον significari poterant; sed multis locis (velut etiam apud Pollucem IX 37) accuratior ille vocis usus, quem modo explicavi, quasi translucet, et hinc maxime originem encomiorum indagare poterimus; et ut hanc inveniamus, maximi momenti est, quod epinicia et encomia, quae dicuntur, propria ex eadem radice progressa esse demonstrari potest, id quod demonstravimus, ita ut, si quaeritur, quid sit encomium et unde effloruerit, epinicia sola perscrutemini necesse sit.

4. De κώμῳ et de origine significationis ἐγκώμιον.

Etiam apud Pindarum ipsum (de Simonide nihil notum; apud Bacchylidem vero illud nomen non exstat) epinicium voce ἐγκώμιον significari supra explicavi; neque vero haec vox praevalet: nam etiam aliis occurrimus velut ὕμνῳ (Ol. II 1, III 3, Nem. IV 11 al.; Bacch. V 10, VI 11, VIII 78, 83, XII 223) vel ἀοιδᾷ (Isthm. IV (V) 24, Nem. III 7, Pyth. X 57 al.; Bacch. VI 14, XII 230). Neque vero his nominibus certo atque firme haec species carminum describitur, cum etiam, ut exemplo utar, de dithyrambis (ἀοιδά Bacch. XVII 4, ὕμνος XV 4, XVIII 8) vel de threno (Isthm. VII (VIII) 60 (66)) usurpentur. Contra voce ἐγκώμιον re vera illa carmina epinicia accurate definiri videntur; sed forma huius significationis nondum stabilita est, cum nonnisi adjectiva exhibeatur et praeter voces ὕμνος (Pyth. X 53) et μέλος (Ol. II 52, Nem. I 7) etiam cum aliis substan-

tivis coniungatur, velut cum *τρόπος* (Ol. X 77) et *τεθμός* (Ol. XIII 29); pro *ἐγκώμιος ὕμνος* exstat etiam *ἐπικώμιος ὕμνος* (Nem. VIII 50); cf. etiam Nem. IV 11: *ὕμνου προκώμιον*. Mediam igitur in explicandam vim vocis atque firmandam invasimus, ita ut sperare possimus ex ipsis Pindari carminibus notionem et originem *ἐγκωμίου* accuratius nos posse definire. Ut vero hoc fiat, primum a vi vocis, quae est *τὸ ἐν κώμῳ ᾀδόμενον μέλος* et a natura *κώμου* explicanda proficiscamur necesse est; et ut *κώμου* propriam rationem intellegamus non Pindari solus *κῶμος* perlustrandus est, sed etiam omnia, quae inveniuntur, *κώμου* genera strictim oportet tangere.

Nomen *κῶμος* solus, quod videam, vir doctus Osthoffius (Etymol. parerga I p. 7 sq., adn.) interpretari conatus est et interpretationi „*κῶμος* = Festschmaus, festl. Gelage“ adiecit adnotationem: „gr. *κῶ-μ-ος* und armen. -su-n Zeugnisse der Basis *k̑ō- „nähren, füttern“ aus uridg. (*e) k̑ōi-“. Et huic interpretationi conveniunt prima testimonia. Quorum duo antiquissima exstant eiusdem fere aetatis sumpta ex Hymno Hom. in Mercurium (481), ubi de cithara verba fiunt:

εὔκηλος μὲν ἔπειτα φέρειν ἐς δαῖτα θάλειαν
καὶ χορὸν ἱμερόεντα καὶ ἐς φιλοκυδέα κῶμον
εὐφροσύνην νυκτός τε καὶ ἤματος . . .

et ex [Hesiodi] scuto Herculis (281):

ἔνθεν δ' αὖθ' ἑτέρωθε νέοι κώμαζον ὑπ' αὐλοῦ
τοί γε μὲν αὖ παίζοντες ὑπ' ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ,
τοί γε μὲν αὖ γελόωντες ὑπ' αὐλητῆρι ἕκαστος
πρόσθ' ἔκιον · πᾶσαν δὲ πόλιν θαλίαι τε χοροί τε
ἀγλαΐαι τ' εἶχον . . .

His duobus testimoniis omnino *κώμου* genera quasi comprehenduntur: *κῶμος* cum convivio coniungitur; est pars posterior, quam nos voce „Fidulität“ significare solemus, cuius sunt multae orationes, multa carmina et hilaria et seria, multi ioci — *φιλοκυδής*; illic *κῶμος* nonnisi commemoratur, apud [Hesiodum] vero etiam describitur: convivae (*οἱ νέοι*) convivium relinquentes grassantur per urbem, partim ad tibiam saltantes et canentes, partim sine ordine iocularia ludentes praecedente tibicine; illic initium *κώμου* videtur significari, hic occurrimus *κώμου* paulo posteriori parti. Et hae duae significationes convivii et commissationis post convivium factae tam arte cohaerentes etiam omnibus aliis locis nobis occurrunt, sive coniunctae sive separatae, variatis tamen semper paululum vi et usu, ita ut tenuissima significandi discrimina efficiantur. Longum est omnes locos exscribere, praesertim cum de hac re fusius iam egerit Welckerus (ad Philostr. imag. p. 202 sqq.). Quare nonnisi conspectum significationum proferam.

κῶμος est solum convivium prolongatum apud Theognidem 829, 940, 1065, Xenophontem conv. II 1; apud Platonem non expressis verbis significatur, verumtamen incipit *κῶμος* tibicina dimissa; reliqui loci sunt: Eurip. Alc. 343 sq., 815. Cycl. 445, 451, 495 sq., Aristoph. Plut. 1141. Sed saepius fere est *κῶμος* commissatio illa convivium relinquentium et per urbem vagantium; cf. Theogn. 1207 et *κωμάζειν* apud Alcaeum (fr. 56 Bgk.) et Anacreontem (fr. 17) et Alcibiadis *κῶμον* in Platonis convivio commemoratum; Plat. Theaet. 173 D. Sed etiam omnino *κῶμοι* dicuntur (etiam seiuncti a convivio) agmina vel pompae, velut *κῶμοι Ὑακίνθου* (Eur. Hel. 1469) vel *Διονύσου* (Eur. Bacch. 1167; Soph. Cresph. fr. 453, 8 N²; Plat. Pol. IX 573 D); huc fortasse etiam pertinent *κωμῳδία* et *κῶμοι* illi in lege apud Demosthenem (orat. XXI 10) commemorata; cf. ad has res Wilamowitz Gött. G. A. 1906 p. 626; Wilhelm, Urkund. dramat. Aufführ. p. 12; Reischii dissertationis (Zeitschrift f. d. österr. Gymn.-Wes. 58) p. 295; Foucartii (mém. de l'Acad. des inscript. 38 = 1906) p. 169 sqq. Paulatim *κῶμος* ab ipso agmine ad personas commissantes transfertur, ita ut inter „agminis" et „turbae" vim quasi fluctuet; huc referendi sunt loci: Eur. Suppl. 390, Hipp. 55, Ion. 1197, Troad. 1184 al.; Soph. fr. adesp. 375, 2 N²; Aeschyli clarissimus locus: Agam. 1188, ubi Cassandra *κῶμον Ἐρινύων* in Agamemnonis domo sedentem describit. Accedunt duo notabiliores loci, Eur. Alc. 912 sqq., ubi *κῶμος* nuptialis describitur:

τότε μὲν πεύκαις σὺν Πηλιάσιν,
σύν θ' ὑμεναίοις ἔστειχον ἔσω,
φιλίας ἀλόχου χέρα βαστάζων,
πολυάχητος εἵπετο κῶμος,
τήν τε θανοῦσαν κἄμ' ὀλβίζων
ὡς εὐπατρίδαι . . .

et Phoeniss. 791, ubi agmen Martis, i. e. exercitus hostium, Bacchi turbae contrarium dicitur: *κῶμος ἀναυλότατος*, quem Mars tamquam dux et *ἔξαρχος* „*προχορεύει*". Haec in primis testimonia quam magni momenti sint ut exempla, liceat mihi iam hic strictim significare ita, ut ad Olymp. IX init. delegem. — Denique vox *κῶμος* etiam ad carmina in como cantata defertur plurali forma plerumque adhibita, cf. Eubul. fr. 1 (III 248 Mein.), Arist. Thesmophor. 988, Eur. Cycl. 490.

Eadem *κώμου* genera apud Pindarum et Bacchylidem inveniuntur. Merum quidem convivium nonnisi uno loco (Nem. IX 80) voce *κῶμος* significatur; commissationis, quae victori offertur, vim habet *κῶμος* Pyth. V 22, *κωμάζειν* Nem. IX 1, Isthm. III 90 (cf. etiam 7), Isthm. VII 20, etiam Pyth. IX 89, ubi *κῶμος* Herculi honori est.

Cum haec quasi pompa sit ad victoris domum facta, *κῶμος* commissatio quoque est per urbem cum victore incedentium vel cum victore reduce intrantium, cf. Ol. VI 18 et 98, Ol. VIII 10, XIV 14; cf. etiam vocem *κωμάζειν* in Ol. IX (4) de commissatione Epharmosti cum sociis Archilochi carmen cantantibus facta usurpatam. Sed variatur etiam haec vis vocis: ut enim saepe in his exemplis ad personas significandas magis inclinat quam ad actionem (velut Ol. VI 18, Pyth. V 22), sic etiam carmen potius in commissatione cantatum quam ipsam hanc vox *κῶμος* spectat, cf. Ol. IV 10, Pyth. VIII 70 (*ἁδυμελής*) et 20, Isthm. VII (VIII) 4 (*ἀνεγειρέτω κῶμον*; cf. Nonn. Dionys. XIX 148 sq.: . . . *καταφθιμένῳ βασιλῆι* . . . *φιλοπράγμονα κῶμον ἔγειρον*), Pyth. III 73, Nem. III 5 (*μελιγαρύων τέκτονες κώμων νεανίαι*). Denique voce *κῶμος* etiam quodam modo artificiosa videtur significari saltatio, cf. Bacch. X 12 *εὐγυίων νέων κῶμοι*, fr. 4, 7 et XII 73 *αὐλοὺς* et *κώμους* coniunctos, Pind. Isthm. II 31 *κώμους* et *ἀοιδάς*; Isthm. V (VI) 58 *ταμίας κώμων* magis ad carmen et cantum pertinere videtur, quamvis poeta ut „administrator *κώμων*“ non modo contextum et cantum, sed etiam modos saltationemque composuerit.

Ad quod genus *κώμου* iam annectenda est *ἐγκωμίου* significatio? Qui *κῶμος* ab initio artissime cum victoria coniunctus erat? Sine dubio *κῶμος* pompalis; huic enim Pindarus ipse vetus illud carmen Archilochi tribuit, quod Olympiae victoriae die vesperi canebatur; hic *κῶμος* antiquissima pars est sollemnium victoriae, ab hoc *κώμῳ* demum omnino victoriae et victoris celebratio orta est, hoc *κώμῳ* primum carmini canendo locus dabatur, ut id quod infra accuratius explicabo, iam hic proferam; et ut ab hoc carmine encomio, i. e. *ἐν κώμῳ* loco et die victoriae cantato, omnia carmina victoriam celebrantia originem duxerunt, sic ab hoc carmine etiam omnia carmina epinicia, etiamsi non *ἐν κώμῳ* canebantur, *ἐγκώμια* nominata sunt (cf. iam Pind. Ol. II 52, Pyth. X 53; contra ad propriam vim vocis *κῶμος* pertinere videntur Ol. XIII 29, X 77; Nem. I 7); et hac ipsa re rursus id quoque effectum esse puto, ut voces *κωμάζειν* et *ἐγκώμιον* mox a propria vi aberrarent et in „celebrandi“ et „laudationis“ notiones abirent.

ἐγκώμιον igitur est initio epinicium loco victoriae cantatum; deinde vox illa ad omnia epinicia translata est; tum etiam carmina non epinicia, sed epiniciis similia (cf. Plat. Lys. 205 C sqq.) sic nominabantur; denique omnino omne „carmen laudatorium“ voce *ἐγκώμιον* appellabatur; vestigia huius usus iam exstant apud Platonem et Aristotelem, praevalet hic usus in poeseos lyricae *εἰδῶν* distinctione a grammaticis Alexandrinis facta.

5. De primordiis encomiorum.

Cum priorum temporum encomium nullum adhuc exstet, optime puto, id quod modo significavi, ad historiam encomiorum explicandam quasi ducem nos sequi historiam variarum victoriae celebrandae rationum. Ac primum quidem hanc sollemnium varietatem ante oculos ponamus, ut Pindari et Bacchylidis, quantum fieri potest, carminum actorum occasiones ostendamus.

1. Exstant adhuc carmina, quamvis pauca, et Pindari et Bacchylidis, quae ipso victoriae loco cantata esse aut certum est aut verisimile. De Pyth. VI. omnes critici consentiunt; quorum *κριτικώτατος* est Drachmannus; nam hic praeter hoc ullum carmen victoriae loco cantatum esse negat (p. 169 sqq.). Quod Ol. VIII. Aeginae cantatum esse affirmat, ego consentio; neque tamen ex versibus 69 sqq. hoc concludo, ad versus 51. (*δεῦρο*) et 25. (*τάνδε*) potius provoco. Contra Ol. XI. cum brevitate tum v. 16. ostenditur Olympiae actum esse, nec intellego, cur Christius p. 88 ex voce *ἔνθα* concludat carmen Locris cantatum esse. Etiam Ol. IV. locus est Olympia; Drachmannus rem incertam esse censet (p. 320); sed si brevitatem spectas et vocem *αὐτίκα* (v. 6; cf. Christii p. 32), cum Schroedero (p. 51) Olympiae carmen tribues, praesertim cum id quod Christio offensioni est, quod Olympiae Iuppiter Aetnaeus invocatur, eo expediatur, quod Ol. VIII 9 sq. Aeginae invocatur Altis Olympicus, et quod, cum Ol. V. iam pompale carmen esse putent victoris in urbem redeuntis, Ol. IV. locus non esset. Etiam Pyth. VII. propter brevitatem et Aristotelis testimonium (quod Christius in argumento accurate tractat, quod vero Drachmannus nondum novit) in eorum numero excipiendum est, quae victoriae loco cantata esse concludendum est. Accedunt Bacchylidis carmina II. et fortasse etiam IV. (si modo cum Kenyone et Schroedero *ἄϊξον ὦ* (v. 1) tenemus).

2. „Pleraque carmina in ipso sollemni victoris reditu cantata esse vulgo existumant; quod . . . in quibusdam (O. V. N II.) certum, in aliis (P. XII. O. XIV.) veri haud absimile est, in aliis denique a poeta significari videtur (O. VII. XIII. P. VIII. IX.)“; de omnibus fere his idem sentio ac Drachmannus, ita ut satis sit me ad eius explicationem, quae est inde a p. 179 usque ad p. 183, delegare; sed in P. IX. et Ol. VII. res incerta vel potius aliena mihi videtur esse a iudicio Drachmanni; neque enim P. IX 73 quicquam aliud significari video quam poetam in reditu victoris adfuisse et fortasse in itinere carmen composuisse (quod etiam ab ipso illo p. 180 adnotatur). Neque tamen inde concludi potest hoc carmen „in ipso sollemni victoris reditu cantatum esse“, immo contra verisimile

fit ex vocibus *δέξεται* (73) et *τάνδε* (91, quae ad Cyrenam referri vetatur v. 73), id quod Christius coniecit, carmen Thebis cantatum esse. Item etiam ex Ol. VII 13 nihil concludi licet, nisi forte poetam sollemnibus victoriae (quae convivium potius et cenam publicam spectare videntur secundum v. 94) interfuisse. His carminibus etiam alia adiciam: Ol. VIII. propter v. 10 (cf. quae supra de hac oda dixi), N. IV. Boeckhium secutus propter monostrophicam compositionem, I. VI. (VII.), quod fabula caret et ad *στεφανοφορίαν* et *κῶμον* (cf. Ol. VIII 10) versus 39 et 29 pertinere videntur.

3. Singularem quandam rationem praebent N. I. IX. I. VIII. quae ad instar epithalamiorum acta sunt, ante domum scilicet victoris, lautis epulis intus paratis (N. I 22).

Haec tria genera epiniciorum mera encomia sunt, i. e. carmina in pompa vel commissatione („Umzug") cantata. Iam ad ea pervenimus, quae nonnisi per analogiam, quia et ipsa epinicia sunt, *ἐγκώμια* dici possunt.

4. Et haec multiplicia sunt: partim in templis videntur acta esse, velut Ol. XII. in aede Fortunae vel Ol. X. in curia urbis (vv. 11, 97); saepe diebus festis cantabantur, velut sacris Apollinis Carneis P. V., feriis Junonis Ol. VI. al. (cf. ad haec omnia Christii argumenta). Et plerumque convivio splendore augendo tribuenda sunt; quod non ubique est facile ad dijudicandum[1]); equidem nonnisi certissima exempla proferam, quae eadem sunt magnificentissima, velut Ol. I. (cf. v. 16 sq.) P. I. (38) P. V. (22, 80) N. IX. (4 sqq.) I. V. (VI.) (1—3, 35—55; Chr. p. 359). Ad Nem. XI. Didymi testimonium afferri potest (schol. Nem. XI. p. 332 Abel); haec oda etiam alia de causa alicuius momenti est: ipsa enim per se minime ad victoriam pertinet, sed est carmen ad exemplum epiniciorum compositum et refertum rebus epiniciis; sed etiam tale carmen per analogiam (ut carmen in Lysidem factum) *ἐγκώμιον* dicebatur.

Hic conspectus occasionum carminum agendorum ad eam aetatem pertinet, qua poesis epinicia plane perfecta et absoluta erat; neque tamen ab initio victoriae celebrationem tam late potuisse patere a primo apparet. Immo potius inde, quod ante Simonidem (cuius tamen fragmenta tam exigua sunt, ut de eius arte nihil fere possit dici), Pindarum, Bacchylidem praeter Timo-

---

[1]) velut Christius P. XI. propter v. 10 pompale carmen esse affirmat (p. 225); Drachmannus vero ex eodem versu (*ἄκρᾳ σὺν ἑσπέρᾳ*) concludit convivio illud tribuendum esse, ita tamen ut etiam affirmet carminum, in quibus nulla re ratio agendi significetur, hoc solum certo ut carmen convivale posse definiri (p. 184); — equidem neutrum puto recte id, quod voluit, demonstrasse, cum nullum certum testimonium insit, unde ratio agendi significetur.

critum et Euphanem, poetas Aeginetas, quos ipse Pindarus commemorat (N. IV 13, 89), vix ullus commemoratur, cuius opera magni fuerit momenti ad explicanda epinicia, illud concludi licere puto, ab illis ipsis demum potissimum effectum esse illum carminum, quae nos tenemus, splendorem et ubertatem et multiplicitatem. Verumtamen longinquum quoddam per spatium temporis exercitationem simplicium carminum epiniciorum ponendam esse rursus inde cognosces, quod iam Archilochum epinicium carmen composuisse non modo veteres tradunt, sed etiam ipse Pindarus certissimus testis pressis verbis praedicat.

Hoc Archilochi carmen, quod, quantum nos videmus, antiquissimum[1]) carmen epinicium est, loco victoriae canebatur a victore cum sodalibus commissante, i. e. in pompa ad aram dei facta, vel in antiquissima parte celebrationis victoriae. Nam si illas occasiones supra allatas comparaveris, animadvertes tria genera prima ad eandem *κώμου* formam pertinere; et si has eiusdem *κώμου* occasiones perlustraveris, facile concedes verisimillimum esse secundam et tertiam nonnisi imitationes esse primae, quam genuinam et re vera primam esse ipsum per se apparet et eo probatur, quod ad ipsum victoriae locum pertinet, cui primo facultatem victoriae celebrandae neminem esse puto quin concedat.

Sed redeamus ad Archilochi carmen; ad quod ipse Pindarus alludit initio carminis Ol. IX.:

τὸ μὲν Ἀρχιλόχου μέλος
φωνᾶεν Ὀλυμπίᾳ
καλλίνικος ὁ τρίπλοος κεχλαδώς,
ἄρκεσε Κρόνιον παρ᾽ ὄχθον ἁγεμονεῦσαι
κωμάζοντι φίλοις Ἐφαρμόστῳ σὺν ἑταίροις . . .

Ad hunc locum locupletissima Eratosthenis, Aristarchi, Didymi scholia exstant, et hunc carminis locum accuratius tractaverunt

---

[1]) hoc loco apte puto posse delegari ad Aristotelis Rhet. I 9, 1368 a 17 sqq.: *καὶ εἰς ὃν πρῶτον ἐγκώμιον ἐποιήθη, οἷον εἰς Ἱππόλοχον καὶ ⟨δι'⟩ Ἁρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα τὸ ἐν ἀγορᾷ σταθῆναι.* Ac primum quidem velim affirmare necesse esse, illud *δι'* inseri propter verba antecedentia: *καὶ εἰ τὰ προτρέποντα καὶ τιμῶντα διὰ τοῦτον εὕρηται καὶ κατεσκευάσθη*, praesertim cum verisimile sit propter similitudinem vocis *(K)AI* praecedentis *ΔI* excidisse. Si vero hoc concedes, non poteris cum Crusio (*ἐγκ.* II) facere, qui etiam Harmodii et Aristogitonis encomia hic significari censet, ita tamen ut hac opinione nisus fundamenta encomiorum scoliis similia fuisse iudicet et cum carminibus Aeolicis comparet. — Quod Wilamowitzius (Herm. 35, 533) hunc locum ad encomium prosae orationis rettulit et Leo et Hürthius quodammodo contra dixerunt, infra accuratius expendere conabor, quid sit iudicandum de his quaestionibus et de sententiis illorum virorum doctorum; cf. p. 58 sqq.

L. de Sybel (Herm. 5, 192 sqq.) et Jurenka (p. 23 sqq.); ad hos in primis provoco. Carmen erat trium stropharum, quae finiebantur vocibus τήνελλα καλλίνικε (fortasse ter iteratis). Canebatur vero hoc carmen in Herculis honorem; quod ex scholiographi adnotatione (κωμάζει δὲ πρὸς τὸν Διὸς βωμὸν ὁ νικήσας μετὰ τῶν φίλων, αὐτὸς τῆς ᾠδῆς ἐξηγούμενος) concludendum esse videtur ad Iovis aram fuisse κῶμον, facile expeditur ita, ut ponamus in ipsa commissatione huc et illuc vaganti („Umzug") cantatum esse illud carmen, et postremo ad Iovis aram perventum esse, ubi sacrificia celebrarentur. De rebus carmini subiectis nihil notum nisi quod Augea devicto Herculi canebatur (schol. Arist. Av. 1764) et quod duo versus sic sonuerunt:

ὦ καλλίνικε χαῖρ' ἄναξ Ἡράκλεες,
αὐτός τε καί Ἰόλαος αἰχμητὰ δύο.

Alicuius momenti est, quod Epharmostus videtur praeiisse sodalibus ut ἔξαρχος (= ἁγεμονεῦσαι) et praecentor; sic enim huius κώμου forma concinit eis, quae supra iam significavimus quaeque minime ad victoriam pertinent, et demonstratur ita universalis quaedam κώμων affinitas; exempli gratia rursus afferam Eur. Phoen. 797: ibi Mars κῶμον ἀναυλότατον προχορεύει; κῶμος igitur solitarius ita comparatus est, ut unus ut dux turbam sodalium antegrediatur ipse et passus et cantum vel musicam moderans; illo loco, quo Mars ἄμουσος praecedit, etiam agmen comitum sine voce est.

Sed longe aliud cum Jurenka premere malim. Illud carmen non in hominem canitur, id quod apud Pindarum semper fit, sed in herois honorem. Quod discrimen etiam Eratosthenes sensit, sed mirum in modum carmen potius ὕμνον fuisse censuit, quam ut ἐπίνικον (vel ἐγκώμιον) initio in heroas cantatum esse statueret.[1]) Neque vero hoc Archilochi carmen solum ut exemplum huic opinioni se offert: praeter Herculem Iolaus, Iphicles, Castor, Pollux, alii videntur cantibus celebrati esse; velut apud Pindarum ipsum commemoratur τὸ Καστόρειον μέλος (P. II 69; cf. I. I 16: Καστόρειος ὕμνος) — hoc μέλος non puto posse appellari Καστόρειον nisi contextus subiciebatur Castorem celebrans — et Ἰολάειον (I. I 16); neque aliter interpretandus esse videtur νόμος ἁρμάτειος I. I 54 significatus; quem ab Olympo auleta inventum (Plut. de mus. 11) a Stesichoro adhibitum (ibid. 7) fuisse constat; hoc vero „χρήσασθαι" nihil aliud esse potest nisi melodiae eidem vel variatae

---

[1]) haud scio an harum rerum necessitudinis sensus quidam, quamvis obscurus, insit in Theonis (Rhet. Gr. II 109, 23 sqq. Sp.) ἐγκωμίου definitione: ἐγκώμιον λέγεται τῷ τοὺς παλαιοὺς ἐν κώμῳ τινὶ καὶ παιδιᾷ τὰς εἰς θεοὺς εὐλογίας ποιεῖν.

textum subicere, neque putari potest textum alienum fuisse a melodia, quam ad curules victorias spectare ipso nomine indicatur. In dubio autem relinquam, utrum etiam deorum carmina in como cantata sint necne; neque enim testimonii instar sunt loci, quos Jurenka attulit, Ol. I 10 sqq., Ol. X 78 sqq. — hae voces etiam ad meras deorum vel Iovis invocationes, non ad tota carmina pertinere, vel quasi locutiones sollemnes esse possunt; cf. Ol. II 2, al., ubi iam eo, quod commemoratur, deus praedicatur.

Carmina illa, cum non ad victorem quendam, sed ad heroas pertinerent, omni occasioni victoriae accommodata erant et a multis victoribus una cum sodalibus cantata esse putanda sunt; prout carmen placebat, canebatur, et praesertim Archilochi carmen celeriter patuit et diu permansit; cf. schol. Ol. IX 1 f Dr. p. 167: . . . *κεκράτηκεν οὖν ἐπὶ πάντων νικηφόρων παρ' αὐτὸν τὸν καιρὸν τῆς νίκης ἐπᾴδεσθαι τὸ κόμμα* . . . Uno loco, schol. Nem. III 1, etiam *αὐτοσχεδιάσματα* chori commemorantur ab Aristarcho praeter carmen Archilochium: . . . *ὁ μὲν οὖν Ἀρίσταρχός φησιν ἤτοι τὸν χορὸν ὑπὸ τὸν καιρὸν τῆς νίκης* (corr. Abel) *αὐτοσχέδιόν τινα ἐπίνικον ᾆσαι ἢ τὸν Ἀρχιλόχου καλλίνικον* (Abel p. 73, 10). Haec autoschediasmata fortasse permagni momenti fuerunt ad encomia perficienda, praesertim cum verisimile sit non modo heroas hunc chorum ex tempore praedicasse, sed etiam victorem sodalem; sed male accidit, quod nihil de illis notum est. Conferre fortasse licet Bacchylidis brevia illa carmina, quae non typicam formam praebent, qualem, ut exemplo utar, P. P. VII., sed alacrem atque propriam quandam speciem prae se ferunt.

Celebrabatur autem etiam convivium privatum loco victoriae; de hoc fere nonnisi apud Pindarum testimonia exstant; Ol. X 73—77 sine dubio mos poetae aetate sollemnis ad mythica tempora transfertur:

ἐν δ' ἕσπερον
ἔφλεξεν εὐώπιδος
σελάνας ἐρατὸν φάος.
ἀείδετο δὲ πᾶν τέμενος (*ἐπ. δ.*)
τερπναῖσι θαλίαις
τὸν ἐγκώμιον ἀμφὶ τρόπον . . .

cf. et scholia ad hunc locum adscripta (Dr. p. 335): 92 a: *ἀείδετο δέ: τῶν ἐπινικίων λεγομένων ἤχει ἡ Πίσα.* 92 b: *ἀείδετο δὲ πᾶν τέμενος: ἐν δὲ ταῖς εὐωχίαις περιῄδετο καὶ ἠχεῖτο τὸ πᾶν τέμενος εὐφημιῶν καὶ ὕμνων λεγομένων· οὕτος γὰρ ἐγκωμιαστικὸς τρόπος. ἢ οὕτως· ἐνεκωμιάζετο ἐκ τῶν νικώντων τὸ τέμενος, φησίν.* Haec verba non ad *κῶμον,* qui erat ad aram Jovis, pertinere possunt, sed potius

ad convivium a victoribus sodalibus datum,[1]) quod mea pace *κῶμον* nomines. Neque vero ad hanc vim vocis *κῶμος* spectat illud *τὸν ἐγκώμιον ἀμφὶ τρόπον* neque recte scholiasta 92 b ad *ἐγκώμιον* ut laudationem provocat, sed eius, quam supra proposui, definitionis velim memineris: haec carmina non propria encomia erant (nam haec nonnisi in pompa vel commissatione canebantur), sed *ἀμφὶ τὸν ἐγκώμιον τρόπον* compositae erant, ita ut etiam hoc loco quasi translucere videre possis significationem *ἐγκωμίου* originem duxisse ab illo como, quem initio Ol. IX. poetam describere supra monstravi. Fortasse huc etiam pertinet Nem. VI 37 (42) sq.: *παρὰ Κασταλίᾳ τε Χαρίτων ἑσπέριος ὁμάδῳ φλέγεν . . .*; scholiographi vero haec verba potius ad *κῶμον* victoris referunt (cf. 64 = Boeckh II 1 p. 471). Sed qualia fuerint re vera haec carmina, neque a poeta significatur, neque aliunde constat.

6. De progressu et perfectione encomiorum.

Quamdiu celebratio solo ipso loco victoriae fiebat, tamdiu etiam carmina certis his finibus continebantur, i. e. aut brevia autoschediasmata erant chori aut ita comparata erant ut Archilochi encomium, scilicet ad omnem victoriam celebrandam apta, et id, quod illius carmen tam diu valuit, quippe quod Pindarus epitheto *φωνᾶεν* significans fortasse paululum despiciat (cf. Jurenka p. 27), documento esse puto vix meliora carmina exstitisse neque in ipsa occasione victoriae locum fuisse novis carminibus splendidioribus componendis. Sed haec rerum condicio mutata est, cum numerus eorum, qui victoriae pariendae studerent, in dies augeretur, cum novis agonibus institutis numerus quoque victorum maior fieret, cum omnibus his rebus efficeretur, ut cum fama certaminum etiam victoris latius pertineret gloria et etiam civitati eius honori esse inciperet; tum in usum videtur venisse, ut victoria etiam domi magnificentius celebraretur. Et hunc progressum victoriae celebrationis subsecutus quoque est progressus poeseos epiniciae; si tempus efflorescentium encomiorum accuratius me definire vis, idem fere tempus indicaverim, quo victoribus etiam statuae primum positae sunt, i. e. annum fere 544. (Paus. VI 18, 7), eadem aetate, qua Simonides, primus trium illorum poeseos epiniciae principum, natus est. Quomodo vero hic transitus factus sit et qua ratione poesis

[1]) posteriore aetate etiam tota contio Olympica epulis excepta est, velut ab Alcibiade; cf. Ath. I p. 3: *Ἀλκιβιάδης Ὀλύμπια νικήσας ἅρματι . . . θύσας Ὀλυμπίῳ Διὶ τὴν πανήγυριν ἅπασαν εἱστίασε;* sed unicum videtur fuisse hoc hospitium.

epinicia tam laete effloruerit, cum omnibus testimoniis destituti simus, minime describendo persequi, vix conicere possumus; quod eo magis dolendum est, cum ad huius transitus encomiorum formam initia earum quaestionum pertinere putanda sint, de quibus inde ab aetate Boeckhii lis fuit: quae ratio intercedat inter fabulas et directam, quae dicitur, partem, i. e. laudes victoris. Et ipsos nos retractare has quaestiones difficillimas aut describendo comprehendere longum est et ad angustias huius dissertationis et vires tironis minus accommodatum. Sed singula, quae persequenti haec mihi occurrerunt, paucis tangam spectans ea potissimum, quae Drachmannus his compluribus annis ante subtilius et acutius quam ad poetae ingenium aptius disseruit.

Ac primum quidem breviter comprehendam ea, quae protulit quaeque ex ipsius argumento Latino non satis dilucide cognosci posse censeo. Haec fere scribit (p. 242 sqq.). Antiqua poesis chorica, unde enata (forgrening = „Verzweigung") sunt epiniica, continebatur carminibus diebus festis cantatis ad deorum cultum pertinentibus, quibus religio multitudinis, quae audiebat, exprimeretur laudatione et verbis ad pios sensus excitandos aptis. Quod vero pro simplici illarum religione ipsum propositum mox absolutum erat, carmen admodum breve fieri necesse fuit, nisi longe aliud homines tum in animo habuissent: volebant enim in primis agi carmen ad augendum sollemnis occasionis splendorem et ita etiam in dei gloriam. Dedicabatur carmen deo, ceterum res carmini subiectas poetae providere debebant. Qui plerumque fabulas elegerunt, quae ad deum vel heroem pertinerent. Sic explicatur fabulam longe caput esse omnis carminis chorici; si hoc teneatur, facile quoque explanari, quomodo lyrica poesis cum dramatis conectatur.[1]) Deinde considerat, quem locum fabula teneat in Graecorum vita, et postquam demonstravit non modo ad religionem pertinere ejus vim, sed ejus vinculis quodam modo gentem contineri et ad patriae amorem et admirationem delegari, et mutuam vim et consuetudinem esse inter fabulas et artes et poesin, his verbis conclusio fit: sammenholder man disse momenter . . . vil man ikke kunne finde det forunderligt, at i den Hellenske festpoesi vel religiøse leiligheder mythen gjaldt for det poetiske stof *κατ᾽ ἐξοχήν* . . . Tum ad epiniciam poesin explicandam vir doctus accedit. Forma firmata poesin illam choricam ad deorum cultum pertinentem dicit quasi locasse operam suam profanis, quae dicuntur,

---

[1]) Quod de hac re adnotavit Dr. (p. 244) facilius affirmavit quam demonstravit: neque enim drama merum carmen chori est, sed ex duabus partibus inter se longe diversis compositum est et ipsum chori carmen praesertim aetate posteriore magis magisque reprimitur.

sollemnibus. Novum quicquam hac re induci neque poetae, neque eis, qui audiebant, in mentem venisse videtur; et re vera non res mutatae sunt, quae carminibus subiciebantur, sed personae tantum: antea deis, tum hominibus dedicabantur carmina. Caput, i. e. fabula, permansit (p. 247 in.). Sed latebat oppositum quoddam inter dedicationem cum laude coniunctam et ipsam fabulam, ita ut carmina epinicia quasi ipsa per se dissolvi inciperent. 1. Deerat enim coniungendi quaedam ratio inter fabulam et occasionem carminis, quo factum est, ut pars, quae dicitur, directa paulatim propria quadam condicione ab altera parte seiungeretur. 2. Accessit causa magis ad usum pertinens. Deus enim etiam parca laude contentus erat; quod minime quadrabat in victorem, praesertim si rex erat (nam civi civium invidia respicienda erat; regem hanc minus curare oportebat), cum pecuniam plerumque penderet. Quod oppositum etiam apud Pindarum exstat et unitati impedimento est; sed iam Pindarum putat in P. VIII., quod ultimum eius carmen est, occurrisse huic difficultati eo, ut fabulam ommino omitteret.

Neque vero Drachmannus, quamvis ad historicam rationem confugere se affirmet, satis inquisivisse mihi videtur epiniciorum ipsam historiam, cum non nisi Pindari carmina tractaret, quamquam testimonia exstant ad priora tempora pertinentia; si hoc fecisset, ab epiniciis profecto non potuit repetere illud discrimen, quod statuit esse inter poesin ad deorum cultum referendam et poesin profanam. Quae fortasse recte distinguuntur (velut ab Alexandrinis grammaticis), si arte et ratione poeseos lyricae firmatae atque perfectae statum consideras, neque vero quadrat hoc discrimen ad epiniciorum originem. Nam epinicia quoque vel potius encomia[1]) ab initio ad religionem pertinent: pompa fit ad aram Iovis vel aliorum deorum, ut sacrificia celebrentur. Verumtamen ambigua est ratio celebrandi: ab altera parte deus praedicatur, ab altera parte victor quoque primas partes huius celebrationis agit; ei quoque acclamant, ad eum partim referunt sine dubio sodales illud *τήνελλα καλλίνικε* carminis Archilochii; praesertim autoschediasmata magis ad victoris personam spectasse videntur. Et hanc partem directam, quae dicitur, eo magis eminere necesse erat, quo magis ad victorem celebrandum pertinebant sollemnia praesertim domestica et quo magis haec toti civitati curae erant. Ab altera vero parte fabula, ut reliquae poeseos ad cultum pertinentis, sic etiam epiniciorum a primo propria erat; quare neque recte dicunt

[1]) Dr. quoque haud recte discernit inter *ἐγκώμιον* et *ἐπίνικον* (cf. p. 246: vi lader her threnos og enkomion ligge og holder os alene til epinikiet), id quod praesertim in origine encomiorum explananda vitandum esse existimaverim.

„traductam“ esse fabulam illinc ad haec, neque occasionem carminum choricorum canendorum mutatam esse recte sentit Drachmannus (nam hoc spectant ea, quae affert p. 246 sq.); velut antiquissimum illud Archilochi carmen praeter „dedicationem“, quam Drachmannus dicit, et quam ex ipsis illis, qui adhuc exstant, versibus constare verisimile est, fabulam exhibuisse videtur, sive enarratam, sive significatam tantum; cf. schol. Arist. Av. 1764: *τήνελλα] τὸ τήνελλα μίμησίς ἐστι φωνῆς [κρούματος αὐλοῦ] ποιᾶς, ἀπὸ τοῦ ἐφυμνίου οὗ εἶπεν Ἀρχίλοχος εἰς τὸν Ἡρακλέα μετὰ τὸν ἆθλον Αὐγέου* etc. Neque tamen quicquam certum de his traditum est; illud quoque fortasse conicere licet *αὐτοσχεδιάσματα* vix fabulas continuisse; nam ab uno ex sodalibus, quibus artissima consuetudo erat cum victore, ex tempore composita referebantur scilicet ad illum, ita ut longe aliam speciem illa prae se tulisse putanda sint quam ea carmina, quae ad cultum pertinebant et identidem canebantur. Pindari vero et Bacchylidis carmina loco victoriae acta similia fuisse credi possunt illis autoschediasmatis: nam et ipsa a sodali, i. e. poeta, componebantur, ex tempore scilicet plerumque; et si fabula his brevibus carminibus inerat, ad ipsum victorem eiusque condicionem vitae spectabat, velut in Ol. IV. et P. VII.

Neque vero hoc, quod carmina quaedam fabula omnino carent, Drachmanno offensioni est; illud potius premit, quod fabula, si exstat, plerumque neque ad occasionem carminis agendi spectat (id quod quasi norma est carminum ad deos vel heroas pertinentium, cf. p. 243: dette indhold var regelmaessig en mythe; formodentlig var den som oftest valgt af vedkommende guds eller heros's sagenkreds . . . cf. etiam p. 247 ex.) neque cum reliquo carmine cohaeret. Sed etiam hoc iudicium temperandum esse puto. Consideremus carmina. Initio quidem ad ipsam victoriam pertinuisse videntur fabulae, velut ad victoriam in universum spectat Archilochi encomium, ad curulem Castoris et Pollucis, ad pugilem Pollucis fabulae.[1]) Huc referri potest etiam narratiuncula illa de Scopa et Simonide apud Ciceronem (de or. II 86, 352 sq.) et Quintilianum (XI 2, 11 sqq.) exhibita, si cum Theocriti carmine XVI (46 sq.) eam comparas; hoc enim loco complures victoriae curules Scopadarum commemorantur, et ad harum unam pertinuisse putandum est encomium illud Simonidis, quod Castoris et Pollucis fabulam continebat. Sed exstant quoque carmina epinicia, quorum fabulae (*1*) ad genus vel locum victoriae pertinent.[2]) Ac primum quidem conferas Ol. X., cuius

---

[1]) cf. Graf, de Graec. vet. re mus. p. 66.

[2]) sequor Jurenkam, qui fabulis accuratius ordine disponendis dividendi rationem utilissimam invenit, quae, quomodo ad Pindarum deferri posset,

fabula Hercules celebratur, qui post Augeam victum ludos Olympicos instituerit — hoc argumentum fortasse etiam Archilochi carmini subiectum erat. Ne longus sim, cetera epinicia, quorum fabulae huc pertinent, enumerare tantum malim: Ol. I. III. Pyth. XII. Nem. IX. Bacch. VIII (IX) 1—20. XII (XIII) ?—57. Sed postremo duo carmina addam, quorum fabulas, quamvis non ipsae ad victoriam pertineant, tamen poeta victoriam respiciens elegisse putandus est: Isthm. I., quod Herodoto Thebano victoria curuli parta dedicatur et cuius fabula propterea de Castore et Iolao est, et Nem. X. Eleganter hic poeta a Theaei athletae laude ad maiores eius transiens horum laudi *ξενισμὸν* Tyndaridarum, quorum iam v. 37 auxilium praedicat, et narrationem de eis adnectit. Quod Tyndaridae hic inducuntur, ad Theaeum scilicet athletam spectat. Quamvis igitur haud perperam etiam de hac oda Drachmannus (p. 236) dicat: denne fortaellings indhold optraeder ikke som knyttet ved en af digterens udtrykkelig angiven indre tankeforbindelse til dens omgivelser . . ., tamen interius quoddam vinculum est inter fabulam et occasionem (huc accedit in hoc carmine, quod ad maiores victoris commemoratos fabula arte adiungitur); sic I. I. et N. X., quorum fabulae ad gentem potius (N. X 49 sqq.) et patriam (I. I 17) pertinent, per ambages etiam ad victoriam referri possunt — et certo ipse poeta hunc conexum effecit, non forti tribuendus est.

Neque vero hae fabulae ad locum vel genus victoriae pertinentes satis amplam materiam praebebant (quin etiam non satis aptam, cum optime loco victoriae tantum sub ipsam victoriam partam canerentur), cum sollemnia dilatarentur et ad patriam deferrentur. Tum proximum erat ab urbis vel gentis historia narrationem repetere; et hic est alter fabularum ordo, qui (2) ad patriam vel gentem victoris pertinet; quarum numerus admodum magnus est: Ol. VI—IX. XIII. Pyth. IV. V. IX. Nem. III—VIII. X. Isthm. I. III. IV. V. VII. Bacch. I. VIII (39—56). XII (94—167). Haec ratio maiores celebrandi omnino Graecorum propria est; provocabant, ut virtutem hominis cuiuslibet explicarent, ad maiorum virtutem, unde et illam emanasse dicebant; et hoc *τόπῳ εὐγενείας* (de qua conferas Immisch, Comment. philol. Ribbeck. p. 71 sqq.) non modo ipsa victoris laus in encomiis poeticis cum celebratione heroum saepe coniungitur, sed etiam encomiorum prosae orationis locus admodum praestans est. Hoc alterum genus fabularum usitatissimum erat

---

tantum adumbravit (Verh. d. 42. Phil.-Vers., Wien 1882, 280—289); Bacchylidis vero carmina ipse in editione (1898) digessit. Sic optime perspici posse fabularum eligendarum rationem infra p. 30 sq. cognoscemus.

epinicia poesi Pindari et Bacchylidis aetate florente; et facile perspicitur hoc, cum et civium et victoris (praesertim si ad ipsius gentem referebatur fabula, ut Ol. VI. P. IV.) ad animos excitandos et efferendos eiusmodi fabulae maxime accommodatae fuisse putandae sint; quin etiam hanc curam fabularum domesticarum *τέθμιον* sibi esse Pindarus dicit, I. IV (V) 19 sq.; velut fieri non poterat, ut fabulae ab Aegina insula alienae carminibus in Aegineticos victores pangendis insererentur; hoc et ipse saepe significavit: Nem. III 27 sqq. Isthm. IV (V) 19 sqq. 28 sq. VII (VIII) 15 sq., et carminibus confirmatur; hanc normam etiam alii poetae encomiastici (velut Timocritus et Euphanes) secuti esse videntur, cf. Nem. VI 53 sqq.:

. . . καὶ
ταῦτα μὲν παλαιότεροι
ὁδὸν ἀμαξιτὸν εὗ-
ρον· ἕπομαι δὲ καὶ αὐτὸς ἔχων μελέταν . . .

Denique tertius asserendus est ordo fabularum, quibus eligendis (*3*) victoris vitae vel morum condicio comparata causae erat: Ol. II. IV. Pyth. II. III. VI. VIII. X. XI. Nem. I. Bacch. III. V. X (XI). Quodsi victores primi et tertii ordinum perlustrabis, facile invenies hos omnes colonias (vel oppidula admodum exigna, ut Pellinaeum, P. X.) ut patriam profiteri, quae omnino domestica quadam fabula carerent, velut Syracusas (O. I. P. II. III. N. I. Bacch. III. V.), Agrigentum (Ol. II. III. P. VI. XII.), Camarinam, Locros Epizephyrios, Aetnam, Metapontum (O. IV. X. N. IX. Bacch. X. (XI.)). In uno carmine Thebano victori dedicato (P. XI.) offensioni est, quod non ad Thebanos heroas provocat poeta; sed huic carmini omnino fabula leviter tantum inseritur ad nomen Pyladis (15) adnexa; ceterum ne uno quidem vinculo externo cum reliquo carmine coniungitur et Pindarus ipse in hoc carmine formulam narrationis interrumpendae vehementissimam adhibuit, 38—41.

Sed si talia perscrutamur, fieri potest, ut in quaestiones incidamus, quas vitandas mihi proposui; id enim tantum potissimum in animo mihi erat, ut perlustrarem fabularum electarum rationem, quantum nobis necesse erat historiam in primis encomiorum considerantibus. Quae ratio conectendi intercedat in singulis carminibus inter fabulas et reliquas partes epiniciorum, hoc ad disserendum relinquitur ei, qui singula carmina tractat. Verumtamen inde, quod non sine consilio et admodum diligenter et acute fabulas poetas elegisse intelleximus, concludi posse existimaverim viros doctos dogma illud quasi frigidum profitentes, quo contendunt poetam fabulam et directam, quae dicitur, partem inter se alienas vinculis interioribus non coniungere, sed agglutinare lepidissimis

et levissimis coniungendi rationibus (de quibus statim pauca disseram), non tribuere poetae, quod ei debeat, sed artificem potius quam poetam eum significare (cf. Drachmanni p. 145: solidt og smagfuldt haandwaerksarbeide, et praesertim p. 319), et verisimile esse putaverim exteriori fabularum cum occasione victoriae coniunctioni respondere plerumque interiorem quandam rationem inter partes carminis intercedentem, quae neque tam recondita est, quam priores interpretes existimabant, neque ita patet et a poeta expressis verbis significatur, ut Drachmannus, ut est vir doctus poetae vix ullam libertatem concedens, eam patere voluit (p. 236 supra p. 30. exscripta, et p. 323: fabulam hic eam intellegimus, quae nullo aperto sententiarum nexu cum reliquo carmine coniuncta . . .).

7. De compositione encomiorum.

Iam ex eis, quae modo tractavimus, intellegi potest poetas normas quasdam (*τεθμούς*) sequi artis epiniciae; quod etiam clarius cognosci potest, si tota carminum structura perquiritur; ad hanc typicam encomiorum formam maxime pertinent multae locutiones, quarum iam complures exhibuimus, quas tamen enumerare et pertractare longum est; satis sit me delegare ad Welckeri dissertatiunculam: Anlage des Siegesliedes (praesertim initium; Rh. M. 1834, 364 sqq.), qui primus haec animadvertit, et praecipue Drachmanni libri partem tertiam (inde a p. 255). Sed ipsam structuram epiniciorum paucis adumbrabo.

Exemplum dilucidum (fabula sane carens) et typicae formae est carmen et simplicissimum et antiquissimum Pindari, Pyth. VII. Hic expressis verbis partes significantur: 1. *προοίμιον* (cf. Nem. IV 9 sqq.): exorditur ab Athenis Alcmaeonidisque, 1—12; 2. „*ἄγοντί με*“ (v. 13) victoriae, 13—18; 3. epilogus, 19—24: sententia victoriae et exilio oppositis annexa. Etiam cetera carmina brevia talem formam praebent, velut Ol. IV.: initium capit ab invocatione et laudatione Iovis, sequuntur precatio (ut propitie *κῶμον* accipiat) et laus victoris; epilogus efficitur victore cum heroe comparato; cf. simile carmen Ol. XIV. In Ol. XII. post invocationem sententia ponitur, tum victoriae Ergotelis proferuntur. Ol. V. singularem locum tenet eo, quod in pompa cantatum est ad aras trium deorum instituta, quibus singulae triades tribuuntur. Neque aliter res se habet in reliquis carminibus brevibus; Bacchylidis vero carmina II. IV. VI. a forma tam typica aliena sunt et animum Ionicum alacri quodam impetu inflammatum verbis effundunt.

Sic iam in brevibus his odis, quamvis in universum typicae sint formae, tamen varietas quaedam singularum rerum exstat; hoc scilicet etiam de maioribus et uberioribus poematis dicendum — sed ratio componendi etiam in his (quae fabulas praebent) eadem fere est, et hanc iam adumbremus. Prooemii partes deorum fere invocatio tenet;[1]) homines nonnisi carmen ad domum victoris commissantium spectat (Isthm. VIII (VII) 1: *ὦ νέοι*); semel denique victorem ipsum, Hieronem, adloquitur poeta (Bacch. V 1 sqq.). Tum plerumque causa carminis et persona laudanda commemorantur; exempli gratia afferam Nem. I 1 sqq.:

Ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφεοῦ
κλεινᾶν Συρακοσσᾶν θάλος Ὀρτυγία,
. . . (= invocatio) . . . *σέθεν ἁδυεπὴς*
ὕμνος ὁρμᾶται θέμεν
αἶνον ἀελλοπόδων μέγαν ἵππων, Ζηνὸς Αἰτναίου χάριν·
ἅρμα δ' ὀτρύνει Χρομίου Νεμέα τ'
ἔργμασι νικηφόροις ἐγκώμιον ζεῦξαι μέλος . . .

etiam simpliciorem in modum sine ulla invocatione incipit Pyth. IX:

ἐθέλω χαλκάσπιδα Πυθιονίκαν
σὺν βαθυζώνοισιν ἀγγέλλων
Τελεσικράτη Χαρίτεσσι γεγωνεῖν . . .

Invocationes saepe preces sequuntur, ut propitie accipiantur victoriae sollemnia vel stephanophoria. Saepius vero eas laus deorum excipit, velut in Isthm. VI (VII) vel Ol. XIII. Etiam a sententiis carmina initium capiunt (P. V; N. VI; O. I. XI; Isthm. III. IV. al.). Denique etiam eae odae hic commemorentur, quarum prooemia ad poesin spectant, sive laude poeseos excellentia, sive comparatis aliis vitae decoribus poesin praedicantia; in his vero sunt odae praeclarissimae, velut Ol. VI. VII; P. I; Nem. IV. V; Isthm. V (VI). Haec varietas, quae cognosci potest in Pindari prooemiis, ad Bacchylidem minime quadrat, qui plerumque (exceptis tantum brevibus carminibus IV. et VI. et oda XIII., cuius prooemium sententiarum molem continet) ab invocatione sive cum precibus, sive cum praedicatione coniuncta incipit.

Prooemium plerumque laudes victoris excipiunt, quibus saepe etiam praedicatio maiorum vel magistri aurigae victoris adicitur (cf. Ol. I. IV. VI. al. Isthm. II. V. VI. al.); sunt etiam carmina, in quibus iam hoc loco victoriae gentis, victoris, urbis adnectuntur. Pauca vero carmina fabulam post prooemium praebent, Ol. XIII. P. III.

---

[1]) invocationes etiam urbium ad nymphas urbium potius pertinent, cf. Pyth. XII 1 sqq., al.

IV. VII. IX. Nem. VIII. IX. Isthm. V (VI). VII (VIII). Rursus autem Bacchylides conservator typicae formae nominari potest. Apud eum enim ubique prooemium laudes victoris et urbis excipiunt.

Tum fabula inseritur, cuius eligendae supra tetigimus, cuius inserendae rationem hic paucis significare conamur. Fabula cum ceteris carminis partibus varie conectitur, velut formulis transitus, quibus etiam adnotatur, quid poeta sibi proposuerit (exempli gratia delegaverim ad Olymp. VI 22), vel nulla re nisi relativo pronomine (Ol. I 25); raro transitus uberior est (Ol. IX 21—41); cf. ad has res Drachmanni pp. 255 sqq. — In Bacchylidis carminibus aut a sententia fit fabulae exordium (Bacch. III. V. IX. — ut Isthm. III. et Nem. VII.) aut relativo pronomine fabula apponitur (Bacch. VIII (IX) 40 et X (XI) 40), transitus semel tantum extenditur (XII (XIII) 77 sqq.). Typicum in modum exitus plerumque fabulae fit. Saepe ipsae res fabulae exeunti subiectae ad victoris rem transitum expediunt, velut ludi certaminaque commemorata (Ol. III 38; I 97—103; Isthm. III 87; Pyth. IX 70; Ol. VII 80) vel genus victoris (Ol. II 50; Nem. IV 71—77; Pyth. V 97; Nem. XI 37) vel priora tempora cum praesenti aetate comparata (Ol. X 78; Pyth. VI 43; I. VIII 61 etc.). Sententia illuc transfertur narratio in Ol. II (45 sq.), Nem. VIII (39 sqq.), Bacch. XII (XIII) (175, ut opinari licet). Conexus ratione plane carent Pyth. IV (262), XII (27); Nem. IX (28); I. I (31); plerumque formula quaedam interrumpendae orationis adhibetur, cf. Ol. XI 81, XIII 93; Pyth. X 51, XI 73; Nem. III 65, IV 69, V 40, VI 55; I. IV 46, V 56; Bacch. V 176. Etiam haec sunt indicia stabilis cuiusdam atque firmae encomiorum formae.

Deinde plerumque laudes victoris eiusque gentis renovantur et sequitur enumeratio victoriarum; hanc ipsam in enumerationem interdum exit carmen (velut Ol. II; P. VI. X.; Nem. IV—VI. VIII.), nisi laudes concluduntur sententia (velut in P. VII. VIII; Nem. XI; Isthm. I; Bacch. III. V. XIII.; al.) vel precibus, quibus praesidium deorum vel victoriae futurae orantur (Ol. VII. VIII. XIII; Pyth. V.; Nem. IX.; Bacch. VII.; cf. etiam Ol. VI. I. VII (VI)). Paucorum carminum exitus ipsa fabula est, victoris laude non iam repetita ([Ol. IV.] N. I. X.); interdum sententia saltem adicitur (P. XII; N. III; Bacch. I. X (XI)).

Hic partium ordo non ubique scilicet servatur et in ipsis clarissimis Pindari epiniciis sine dubio variatur, praesertim in carminibus principibus dedicatis (Ol. II. P. I. etc.); magis enim rebus abundant et maiore arte compositae sunt. Sed haec omnia alicuius momenti sunt ad Pindari artem explicandam, non tamen

ad historiam encomiorum explanandam, quae potius ex rebus maxime typicis optime elucet.

8. De Simonidis, Pindari, Bacchylidis arte.

Verumtamen tangamus paucis poetarum ipsorum artem, ita ut partes encomiasticas describamus, qua ratione a singulis poetis tractatae sint; quas partes tres potissimum esse constat: fabulam, laudes, sententias.

De Simonide nihil fere notum. Ea carmina, quae Schneidewinum secutus huc refert Crusius (Anthol. Lyr. p. 233 sqq.), non sunt encomia. Nam quod Diodorus (XI 11) carmen, quod erat *εἰς τοὺς ἐν Θερμοπύλαις θανόντας*, voce *ἐγκώμιον* significare videtur, non puto ex eius verbis posse concludi carmen re vera *ἐγκώμιον* esse; . . . . . *Σιμωνίδης ὁ μελοποιὸς ἄξιον τῆς ἀρετῆς αὐτῶν ποιήσας ἐγκώμιον, ἐν ᾧ λέγει* . . .; hoc loco „*ποιήσας ἐγκώμιον*" nonnisi idem, quod *ἐγκωμιάσας* = laudans, esse potest; et licet Diodorum carmen *ἐγκώμιον* intellexerit, ne tum quidem eum sequi velim, cum etiam aliis locis, velut I 72, 2, carmina laudatoria in homines mortuos cantata *ἐγκώμια* potius esse censeat quam *θρήνους*; *θρῆνον* enim et illud ipsum carmen Simonidis fuisse contenderim. De carmine *εἰς τὴν ἐπὶ Ἀρτεμισίῳ ναυμαχίαν* nihil certi dici potest propter fragmentorum paucitatem. De carmine vero Scopae dedicato lis est inter viros doctos. Solebant hoc carmen ex Platonis Protagorae 345 A sqq. restitutum *ἐγκωμίοις* tribuere; sed post Blassii (RhM 27, 326 sqq.) Wilamowitziique (Nachr. Gött. Ges. Wftn. 1898, 204 sqq.) et ab altera parte Iurenkae (Ztschr. f. d. öst. Gymn.-Wesen 1906 = 56, 865 sqq.) dissertationes duae sententiae accesserunt: alteri *σκόλιον*, alter *ἐπίνικον* esse carmen illud affirmabant. Haec quaestio ex eis, quae supra exposuimus, facile mihi videtur expediri posse. Ac primum quidem epinicium et encomium praesertim Simonidis aetate idem esse putandum est; et quamvis Iurenka demonstraverit complures significationes ad artis epiniciae vocabula pertinere, tamen cum fabula omnino desit (quam et ex fragmentis et Ciceroniana narratione notissima concludi potest plerumque eum exhibuisse) et totum carmen eis epiniciis, quae recte sic significantur, vix quisquam affirmaverit simile esse (ita ut etiam haud sciam, an non possit omnino cogitari lacuna (post v. 16) fabulam excidisse), potius cum Blassio et Wilamowitzio *σκόλιον* hoc carmen esse existimaverim; cui sententiae monostrophica favet compositio quam coniciendo Schröder statuit sive restituit, cf. Pindari scolia fr. 122 et 124 A, B Schroed. Iurenkae vero, qui ad artis epiniciae vocabula non tamen a primo dilucida

provocat, concedas hoc carmen in sollemnibus epiniciis cantatum esse, sive a choro, sive (id quod fortasse rectius censuit Wilamowitzius) a poeta ipso. Quodsi denique conicimus carmen illud in Alexandrina collectione, ut Pindari *σκόλια*, *ἐγκωμίοις* subiunctum fuisse, omnium sententiarum ad hoc carmen prolatarum, quae sunt recta capita, quasi in unum comprehenduntur.

Si cetera fragmenta, quae a Bergkio epiniciis tribuuntur, perlustras, complurium rerum, quas effecerimus, invenies fieri confirmationem, quae quidem in tam exiguo fragmentorum numero dici possit. Simonides ipse quoque ab allocutione carmina incipit (mulorum sane, fr. 7 Bgk.), fabulas inserit (fr. 8; cf. Ciceronis l. c. et Graf, de Graec. veter. re mus. p. 66), victorias enumerat (fr. 10); fortasse etiam ipsa certamina describit (fr. 16, etiam 17); quamquam haec fragmenta ex fabula quoque sumpta esse possunt. Has res Pindarus paucis tangit (N. VIII 72 sq.; P. V 30 sq., 49 sqq.); in Bacchylidis encomiis ad ea delego, quae de Pherenico equo (V 37—49) et de Automede (VIII (IX) 27—38) narrat.

Iam ad Pindari et Bacchylidis carmina adhuc exstantia strictim tractanda accedamus. Quorum quae fuerit ars optime elucebit, si utriusque rationem fabulae, laudum victoris, sententiarum conformandarum comparaverimus.

Apud Pindarum fabula raro prolixo flumine orationis enarratur; huiusmodi exempla sunt Pyth. IV., quo Argonautarum fabula exhibetur ratione epicae simili descripta, vel Pyth. IX., in quo Apollinis erga Cyrenam venatricem amor parti mythicae subiectus est, vel in primis Pyth. III., cuius fabula est de adversa Coronidis fortuna et de Aesculapii natu, munere, morte. Fabulae sic narratae aptae sunt, quibus etiam his temporibus animi legentium excitentur et commoveantur. Neque vero hanc rationem Pindarus semper sequitur; immo contra ipse hanc normam statuit (P. X 53):

ἐγκωμίων . . . ἄωτος ὕμνων
ἐπ' ἄλλοτ' ἄλλον ὥτε μέλισσα θύνει λόγον . . .

Utrum propter hanc potissimum narrandi rationem ab adversariis (quorum in primis Simonidem scholiographi nominant, ad Nem. IV 36) vituperatus sit an propter alias res, difficile est ad diiudicandum. Christius (ad Nem. IV 33 et 36) illud mavult, et re vera si Bacchylidis carmina perlustras, quem, ut erat cum homo Ionicus tum Simonidis sororis filius, hunc maxime secutum esse conicere licet, invenies apud hunc fabulas fere epicum in modum quasi evolvi, cf. carmina X (XI)., XII (XIII). in primis V. Si cum his narrationibus comparas mythos a Pindaro, ut exemplis utar, Ol. VII. XIII. Nem. III. insertos, quibus quasi frustillatim fabulae

afferuntur vel ordine continuantur, Bacchylidis puto partes potius te sequi, cuius fabulae eminent alacritate quadam atque perspicuitate narrandi Ionum propriis. Hoc discrimen optime fortasse cognosces, si illorum carmina ad eandem Hieronis victoriam celebrandam composita comparas, Ol. I. et Bacch. V : Bacchylides exhibet narrationem uno tenore profluentem, sed sermone variatam, qua Herculis et Meleagri apud inferos occursus describitur; Pindarus vero a Pelopis mentione incipiens Tantali scelus non enarrat, sed significat tantum cogitationibus et sententiis interpositis et explicat, quomodo Pelops adiuvante Neptuno, quem precibus adierat, Oenomaum vicerit et Hippodamiam nanctus sit. Hoc profecto splendidius, illud elegantius, hoc Doricum in modum gravius, illud levitate Ionica gracilius.

Ea, quam „encomiasticam“ epiniciorum partem vocare solent, neque una aut continua est neque certis finibus vel capitibus comprehendi potest, id quod in encomiis prosae orationis tractandis nobis occurret; hoc sane etiam poetae minime laudi esset. „Laudes“ potius magnopere variantur: sive directe exhibentur, ut Pyth. V 5 sqq. alibi, sive epithetis quasi furtim inducuntur, ut Ol. I 11—15, II 6—8, al., sive expressis verbis (velut *αἰνέω, κελαδήσω* etc.) a poeta ipso laudatio significatur, ut Ol. IV 15 sqq., al., sive partes quaedam, quamvis non directe celebretur victor, laudem quasi spirant, cf. Pyth. I extr. Ceterum illud animadverti potest, si Pindari odas perlegis, Olympia carmina et Pythia multo magis laudatoria esse quam Nemea et Isthmia; quod non ex ludorum condicione explicandum est, sed inde, quod illis victores clariores celebrantur, quorum ipsi laudi poeta magis studebat. Apud Bacchylidem vero hoc discrimen haud apparet: ut est eius ingenium et facultas nova formandi non tanta gravitate et abundantia, quanta Pindari, magis putandus est viam receptam carminum componendorum inire quam encomia renovando denuo conformare. — Caput quoddam laudis enumeratio victoriarum videtur fuisse; cuius amplissima exempla sunt Ol. VII 80—87 et praesertim Ol. XIII 30 sqq., 93 sqq.; nos vero a tali more abhorremus et fortasse ipse poeta haec inserens victori eiusque affinibus talia flagitantibus magis indulsit quam arti poeticae; cf. Christii LG[4] p. 185.

Quamvis igitur variam esse neque unam laudum inserendarum rationem noverimus, ea, quae laudantur, certis capitibus subsumi possunt; et huc maxime pertinet necessitudo, quae intercedit inter encomia poetica et prosae orationis. Ne tamen collectionem *τόπων* utriusque encomiorum speciei discerpam et quia magis ad rem mihi videtur accommodatum esse encomia poetica potius respicientem quam ad encomia prosae orationis prospicientem

hanc comparationem me proferre, satis sit hoc loco ad illam (cf. p. 62 sq.) delegari et, ut dispositionem, rationem, ambitum laudationis strictim ostendam, exempli gratia Pyth. V. schemate describi:

1. exordium: *πλοῦτος ἀρετᾷ κεκραμένος;*
2. *μακαρισμός:*
   a) . . . . *ὅτι βασιλεὺς*
   ἐσσὶ μεγαλᾶν πολίων,
   ἔχει συγγενές τ'
   ὀφθαλμὸς αἰδοιότατον γέρας,
   τεᾷ τοῦτο μιγνύμενον φρενί (15 sqq.);
   b) victoria Pythia (20 sqq.);
3. a laude *γένους* (i. e. *Βαττιδῶν,* 50 sqq.) transit (96 sqq.) ad
4. laudationem ipsam Arcesilae (109 sqq.):
   a) *κρέσσονα μὲν ἁλικίας*
   νόον φέρβεται
   γλῶσσάν τε (109 sqq.).
   b) . . . . *θάρσος τε τανύπτερος*
   ἐν ὄρνιξιν αἰετὸς ἔπλετο (111 sqq.);
   c) *ἀγωνίας δ' ἕρκος οἷον σθένος* (113);
   d) *ἔν τε Μοίσαισιν ποτανὸς ἀπὸ ματρὸς φίλας* (114);
   e) *πέφανται ἁρματηλάτας σοφός* (115);
   f) *ὅσαι τ' εἰσὶν ἐπιχωρίων καλῶν ἔσοδοι*
   τετόλμακε (116 sq.) . . . .
5. precatio.

Bacchylidis laudandi rationem non tam amplam esse iam supra significavi; sed etiam apud eum et victores in universum celebrantur (V 1 sqq., 31 sqq., 155 sqq., IX 9 sqq.; al.) et singulae virtutes praedicantur (III 64 sqq., VIII 30 sqq., XII (XIII) 75, 201 sq., al.) et victoriae enumerantur (IX 9—35; cf. et X 15—39).

Denique sententias paucis tangam. Pertinent apud Pindarum ad totam hominum vitam moresque: ad consuetudinem deorum et hominum (cf. exempli gratia O. I 66, Pyth. III 28 sq., Ol. I 116, III 42 sqq., al.), ad virtutem (Ol. V 15 sqq.; Nem. III 40 sqq.; P. VIII 88 sqq.; I. III 14; al.), ad sapientiam et temperantiam (P. III 59—62; VIII 97 sq.; I. VI (VII) 40 sq.), ad fortunam hominum (Ol. VII 94 sq.; Nem. VII 55 sq., al.), ad divitias recte usurpandas (P. II 56, VI 47 al.), ad gloriam (Ol. II 106 sqq., IX 100 sqq.; Nem. VII 12 sqq. — hanc sententiam saepe Pindarus amplectitur, cf. Nem. IX 6 sq.; Ol. X 91 sqq.; I. VI (VII) 17 sqq., fr. 121, 3, etiam Bacch. III 94 sq.), ad artem poetae a deo traditam (Ol. IX 28; XI 10; P. I 41 sqq.; al.) — neque vero licet hic accuratius haec inquirere. Sed illud velim affirmare: praesertim sententiis, quibus formandis non normae, non leges artis

epiniciae impedimento erant, tota Pindari animi et ingenii poetici elatio et altitudo coniuncta cum severitate atque honestate praeclare patefit, quae abhorret a Simonidis artificiis rhetoricis (cf. scol. in Scopam, fr. 5, et quae ad hoc adnotavit Iurenka l. c. p. 268) et a vulgaribus atque tritis fere sententiis Bacchylidis; neque enim frequentes sunt, neque late patent fines, quibus continentur: ad fortunam pertinent hominumque munera (XIII (XIV) 16 sqq., XII (XIII) 1 sqq., V 53 sqq.; IX (X) 36—51, XIII (XIV) 8 sqq.) et ad gloriam (III 90 sqq., V 193 sq., VIII (IX) 82—86, XII (XIII) 175—181, 205). Sed haec hactenus.

9. Conclusio.

Postremo si capita antecedentia respicimus, apparet non re vera encomiorum poeticorum totam historiam nos enarrasse, sed partes tantum tetigisse: quod propterea contigit, quia iniquitate temporum maior pars encomiorum periit et nonnisi perfectae et absolutae poeseos encomiasticae reliquiae exstant et de priorum temporum encomiis pauca traduntur, et quia grammatici Alexandrini poeseos lyricae genera haud certis finibus descripserunt, ita ut praeiudicatas opiniones non curantes denuo perquirere cogeremur, quid esset omnino *ἐγκώμιον*. Verumtamen iam comprehendamus, quod effecimus.

Duae sunt quasi aetates poeseos encomiasticae: altera, qua admodum tardo progressu ratione quadam firma encomia inde ab Archilochi carmine (circa annum 650. composito) explicata esse videntur, altera, qua subito effloruit ad summum quasi fastigium perfectionis. Quod compluribus rebus perfectum est. Ac primum quidem huc referendum est, quod victoriae celebratio dilatata est; hoc praesertim inde puto repetendum esse, quod apud Graecos plus valere coepit victoria in agonibus totius Graeciae parta. Accedit, quod encomiis, ut erant genus poeseos lyricae ultimum, bono erat, quod tota iam poesis lyrica ad perfectionem venerat et quod principes choricae poeseos ad ipsam illam conformandam aggrediebantur; sic poesis encomiastica, quamvis ipsa quidem sterilis esset, tamen omnibus his rebus elata est ad summam perfectionem, quae sane eadem brevis esse videtur. Haec carminum conformatio tam celeriter facta etiam externis rebus cernitur, velut significatione „*ἐγκώμιον*"; haec vox nondum firmata erat, cum ipsa poesis ad summum venit, et simul cum firmanda vocis forma vis ipsius vocis ab etymo ad „laudandi" notionem deflectitur. Sed etiam in ipsa structura carminum cernitur encomiorum subita explicatio. Ab initio enim videtur poesis encomiastica admodum typica fuisse,

cum carmina nonnisi imitando componerentur secundum Archilochi vel aliorum poetarum haud semper eminentium viam secundum usum delineatam; quam formam typicam etiam Pindari et Bacchylidis carminibus quasi fundamento esse supra significasse et demonstrasse mihi videor. Difficiles vero sunt quaestiones ad fabulam pertinentes. Quomodo haec initio cum directa parte, quae dicitur, coniuncta fuerit, non iam potest perquiri; sed „unitas poetica" statui potest, si fabulae — id quod opinari licet — primum ad genus vel locum victoriae pertinuerunt. Cum victoriae celebratio in patriam traduceretur, illa ratio fabulas eligendi videtur interdum servata esse; sed plerumque domesticae fabulae proferebantur, quam rationem Pindarus *τεθμὸν* esse dicit, i. e. consuetudinem diuturna exercitatione legem factam. Hac norma obstrictus est poeta, et eo factum est, ut partem directam et fabulam saepe non bene coniunctas esse censerent et carmen quasi medium discindi videretur. Hanc vero ad rem explicandam in primis Drachmannus accessit virorum doctorum unitatem poeticam omni ratione defendentium viam et rationem reiiciens; sed et ipse male tractare poetae ingenium mihi videtur. Nam poetis adversatur et qui postulat, ut omnem interiorem sententiarum conexum certo signo externo exprimant, et qui putant poetas ubique leviter et paucis verbis quasi clam et furtim alludere ad res audientibus notas, quas vero nos non sine magna opera concludendo invenire possimus; ab utrisque dignitas poetae minuitur et ipse artifici (quamvis admiratione digno) aequatur. Quare etiam in hac quaestione, quae pertinet ad rationem inter directam encomiorum partem et fabulam intercedentem, ut semper, eo pervenire videntur viri docti, ut verum singulorum carminum conexum perquirentes viam quandam ineant, quae media est inter rationem unitatem poeticam profitentium et inter rationem virorum doctorum (velut Drachmanni) eam plane abicientium et ad suam potius rationem carmina considerantium.

De aetate, quae est post Pindarum et Bacchylidem, nihil fere notum est. Exstant adhuc duo illorum temporum fragmenta epinicia, alterum incerti auctoris vel Simonidis (cf. Wilamowitz, Textg. d. gr. Lyr. 48 sq.) in Echecratem Orchomenium compositum (PLG III adesp. 85), alterum Euripidis, Alcibiadem celebrans (PLG II p. 266, fr. 3). Illud epiniciis, quae novimus, admodum simile est, cf. laudes dei et victoris oppositas (Ol. II 1 sqq.) et fabulam Gratiarum Orchomeno oppido commemorato adnexam (8 sqq.). Euripidis vero fragmentum potius ab initio ad ipsum victorem pertinet eiusque palmam. His rebus a primo optime videtur confirmari Drachmanni hypothesis, qua fabularem partem epiniciorum

directa parte laudatoria omnino summotam et expulsam esse contendit. Sed caute hic iudicandum esse censeo, cum nihil sit certum; ad unum tamen delegaverim, quo et confirmatur quodammodo et temperatur Drachmanni sententia: non omnino depulsa videtur esse fabula, sed artius cum laude victoris coniuncta esse et quasi ministra facta esse partis directae. 'Denuo contemplemur locum illum Lysidis; etsi verba sane leviter iacta non premenda sunt, tamen fortasse aliquid inde concludi potest. Significantur carmina Hippothalis in Lysidem composita: explicatur praesertim maiorum pueri mentionem factam esse et victoriarum eorum et aliarum laudum. Quin etiam in uno carmine maiorum gloriam eo quoque auxit, ut fabulam insereret, qua *ξενισμὸς* Herculis apud illos descriptus erat. Cui haec legenti non Pindari statim carmen Nem. X (49 sqq.) in mentem venit? ibi eodem fere modo laudi maiorum fabula adnectitur: *ξενισμὸς* Castoris et Pollucis apud maiores Theaei Argivi victoris factus. Fortasse igitur illud potest contendi posterioribus temporibus fabulam arte cum ipsa parte directa encomiorum eo conecti solitam esse, ut ad maiores victoris referretur; cf. iam apud Pindarum praeter Nem. X. etiam Ol. VI. Pyth. IV. V.

Haec sola de posterioris aetatis encomiorum poeticorum forma conici possunt; omittamus igitur haec; sed concludere liceat hanc partem dissertationis eo, ut ab hac maiorum laude encomiis poeticis inserta ad *γενεαλογίαν* encomiorum prosae orationis, velut in primis Euagorae, delegemus.

Pars II: Encomiorum prosae orationis historia A.

1. De Alcibiadis laudatione et de epitaphiis.

Encomiorum, quae quidem adhuc exstent quaeque tempore propemodum possint describi, primum est Alcibiadis encomium. Quod non ipsum per se stat, sed Isocratis orationi insertum est, quae est de quadrigis. Tractatur haec laudatio accuratius a Brunsio (495 sqq.); Leo eam nonnisi strictim (p. 93 adn. 1) commemorat. De qua oratione (et simul de encomio ei inserto) ut recte existimaretur, temporum rationem habendam esse Brunsius docuit. Quem si sequimur, res ita se habet. Anno fere 399. Alcibiades minor a Tisia accusatus oratione ab Isocrate scripta se defendit. Paucis annis post idem in crimen vocatus est ab Archestratide (395), quod ne ὁπλίτου stipendia mereret, se eripuisset, Lysia orationem scribente. In hac vero causa cum adversarii Alcibiadem maiorem tum mortuum calumniati essent, Isocrates eis obsistere constituit, ne cliens calumniis illis ullum detrimentum caperet. Quare orationem huic subiecit prioris causae condicioni accommodatam, Alcibiadis maioris laudes continentem. Hac vero ficta oratione tota controversia in litteras translata Lysias et ipse libellum scripsit, quo cum Alcibiadis nomen obrueret, tum Isocratis adversarii auctoritatem concideret. Calumnias illas significat Isocrates paragraphis 22 sq.; neque tamen ἐγκώμιον, quod sequitur, propter id ἀπολογία aut facta aut putanda est; hoc ipse quodammodo a primo refutat par. 24: ἴσως μὲν οὖν ἀνόητόν ἐστιν ἁπάντων τῶν εἰρημένων φροντίζειν ... Et quamvis complures res, in primis, quod semper φιλία πρὸς τὸν δῆμον premitur, calumnias illas spectare videantur, tamen paragraphi 25—41 totum quasi corpus efficiunt, ita ut separatas a reliqua oratione eas tractare possimus.

Propositum, quod § 24 indicatur: ... ὅμως δ' οὐχ ἥκιστα ἐπιθυμῶ περὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων τῶν τοῦ πατρὸς διελθεῖν πρὸς ὑμᾶς, hunc in modum explicatur. Primum maiorum laudes proferuntur: patris maiorum, i. e. Eupatridarum, εὐγένεια iam nomine exprimitur; et matris maiores sunt Alcmaeonidae, quorum πλοῦτος notus est: Alcmeon enim primus Atheniensium Olympiae vicit; nec minus

eminet eorum εὔνοια εἰς τὸ πλῆθος: Pisistrato rerum potiente patriam relinquunt et ab eis, i. e. a Clisthene Alcmaeonida et Alcibiade Eupatrida, populi imperium restituitur. Postremo heredem huius amicitiae popularis Alcibiadem praedicans Isocrates ad huius laudem transit.

Vita secundum temporis ordinem enarratur aetatis gradibus expressis verbis designatis (28: ... αὐτὸς κατελείφθη ὀρφανὸς ... ἐπετροπεύθη; 29: δοκιμασθείς ...; 30 ex.: πρεσβύτερος). Iuventus eo augetur, quod Pericles, qui in Isocratis encomiis (16, 28; 15, 111) certis epithetis (σωφρονέστατος καὶ δικαιότατος καὶ σοφώτατος τῶν πολιτῶν) ornatur, tutor illius erat. Sequitur caput, quod voce δοκιμασθείς (29) significatur; hic invenimus locutionem quandam vere encomiasticam, quae sive eisdem fere verbis expressa, sive paululum variata etiam in aliis encomiis exstat: οὐ δ' ἠξίωσεν αὐτὸς μὲν ῥαθύμως ζῆν, σεμνύνεσθαι δ' ἐπὶ ταῖς τῶν προγόνων ἀρεταῖς, ἀλλ' εὐθὺς οὕτω μέγ' ἐφρόνησεν, ὥστ' ᾠήθη δεῖν δι' αὐτὸν καὶ τἀκείνων ἔργα μνημονεύεσθαι, cf. 3, 29; 9, 12; 11, 10. Tum prima res bello gesta commemoratur, ceterae loquendi formula quadam abrumpente et laudantur et omittuntur (30). Quibus factis multa ἀριστεῖα peperit, in quibus etiam illud est, quod filiam Hipponici in matrimonium duxit, quem divitiis, genere, honore excellentem fuisse constat (31). Iam progreditur orator ad victorias curules Olympicas accuratius (32—35) tractandas; augetur in primis τὸ ἱπποτροφεῖν, quod ἔργον εὐδαιμονεστάτων dicitur, minuuntur γυμνικοὶ ἀγῶνες, quibus Alcibiades minime operam dedit. Denique exponitur, qualis fuerit in πολιτείας auctoritate servanda: nunquam enim, id quod inimici ei subdebant, paucorum dominationem efficere volebat, bis potius, quia δημοτικὸς erat, in exilium missus est (36—38); et huic quasi defensioni asseritur certa quaedam laus, quae verbis εὐνούστατος ταῖς τῆς πόλεως εὐτυχίαις (39) comprehenditur, et acuto enuntiato vere laudatorio finitur (41): ὥστε οὐ μόνον ἐξ ὧν ὑμᾶς εὖ πεποίηκεν, ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν δι' ὑμᾶς κακῶς πέπονθε ῥᾴδιον γνῶναι τὴν εὔνοιαν τὴν ἐκείνου ... Epilogus deest, cum Alcibiadi viro maxima laude digno statim opponatur Charicles illius dissimillimus.

Hoc Alcibiadis encomium, cum ad aequalem vel hominem haud paulo ante mortuum pertineat, ab initio quodammodo contrarium est encomiis personarum, quae dicuntur, mythicarum (quae mox tractabimus) et simile potius est encomiis poeticis; cf. in primis Lysidis encomium in Platonis Lyside adumbratum; hic item πλοῦτος, εὐγένεια, victoriae afferuntur; cf. etiam quae infra p. 62 sq. disseremus. Non potest scilicet dici Alcibiadis laudatio quasi encomium poeticum in prosam orationem translatum; sed inveniuntur ubique res utriusque speciei communes.

Tota laudatio ad temporis ordinem plane est accommodata; proferuntur primum εὐγένεια, deinde παιδεία, tum ἔργα, si licet iam hic artis vocabulis uti, quae primum nobis in epitaphiis, in primis in Menexeno Platonis, occurrunt. Huius enim epitaphii ipsius laudationis, quae est inde a p. 236 D usque ad p. 246 B, dispositio secundum praefationem (237 A) haec est: φύσις sive εὐγένεια, παιδεία, ἔργα. Qui ἔπαινος ἀποθανόντων cum admodum similis sit encomiis proprie sic dictis, quaerendum esse mihi videtur, quae ratio intercedat inter laudatoriam epitaphiorum partem et ipsa encomia.

Sed ut hoc melius animo perlustrare possimus, alia exempla comparanda sunt. Quae quinque adhuc exstant quinti et quarti a. Chr. n. saeculi: epitaphius, quem Pericles anno 430. Athenis habuit (Thuc. II 35 sqq.), orationes funebres, quae falso Lysiae et Demostheni tributae sunt quasque annis 387. et 338. compositas esse viri docti coniecerunt (Blaß AB I² 443, aliis locis; Wendland Herm. 25, 192 sqq.), Hyperidis epitaphius, qui anno 322. scriptus est, denique Menexenus, quem sive anno 387. sive intra annos 387. et 385. (Gercke Rh. M. 62, 182) confectum esse censent.

Apud Thucydidem, etsi laudatoriae partis epitaphii stabilis quaedam forma cum mortuorum laudi tam brevi adhiberi non potest, tum illis temporibus exstitisse vix putanda est, tamen totius epitaphii (quam orationem publicam post pugnam Marathoniam institutam esse verisimile est, cf. Wendland l. c. 184) certa iam ratio cernitur; eius enim dispositio haec est: exordium (35), laudatio maiorum (36), civitatis (37—41), mortuorum (42), λόγοι προτρεπτικὸς καὶ παραμυθητικός (43—45), conclusio (46). Eandem dispositionem praebet oratio funebris, quae dicitur, Lysiana (exordium 1 sq., laudatio maiorum 3—66, mortuorum 67—70, λόγοι προτρεπτικὸς καὶ παραμυθητικός 72—81), nisi quod nimis omnes laudes auget encomiorum in modum multosque locos generis demonstrativi proprios (de hac re fusius Wendlandius l. l.) affert. Praeterea mortuorum cursus vitae secundum temporis ordinem paucis exponitur: οὗτοι δὲ καὶ ζῶντες καὶ ἀποθανόντες ζηλωτοί, παιδευθέντες μὲν ἐν τοῖς τῶν προγόνων ἀγαθοῖς, ἄνδρες δὲ γενόμενοι . . ., ἐτελεύτησαν δὲ τὸν βίον . . . (69 sq.). Exempla vero, quae sequuntur, amplius in encomiorum rationem abeunt; velut in Menexeno Plato εὐγένειαν, παιδείαν, ἔργα tractat; in [Demosthenis] vero oratione funebri paulo accuratius temporis ordo exprimitur; post εὐγένειαν enim τὰ τοῖσδε πεπραγμένα hunc in modum enarrantur: πειράσομαι τὴν αὐτὴν ποιήσασθαι τοῦ λόγου τάξιν ἥπερ ὑπῆρξε τοῦ βίου τούτοις . . . ἐξ ἀρχῆς ἐν τοῖς παιδεύμασιν . . . ἐπειδὴ δὲ εἰς ἄνδρας ἀφίκοντο . . . Denique Hyperidis quoque epitaphius dignus est, cuius mentio fiat, non quod idem laudationis, ut ita dicam, schema ex-

hibeat, sed quia se excusat, quod ab eo paucis verbis significato (*γένος* 7, *παιδεία* 8) abhorreat (cf. 7—9; 15).

Quodsi totam hanc epitaphiorum quasi amplificationem atque uberiorem exornationem animis pervestigamus, quae quidem ex eis, quae exstant, orationibus possit cognosci, haec effici mihi videntur: communis omnium dispositio illa est, quam iam Thucydides tradit quaeque quinque capita continet: *προοίμιον, ἔπαινον, λόγους προτρεπτικὸν καὶ παραμυθητικόν, ἐπίλογον.* Quorum nonnisi *ἔπαινος*, qui dicitur, ad id quod propositum est, spectat. Huius vero quamvis eadem forma sit [Lysiae] atque Thucydidi, tamen apud illum in mortuorum laudatione amplificata id novi exstat, ut temporum ordinem expressis verbis significet. Quae forma permansit apud ceteros subtiliusque definita est, ita ut simul rationi laudandi vel potius augendi sermo accommodaretur. Qua in re summi momenti fuisse videtur, quod etiam Gorgias epitaphium composuit, cuius admodum exiguae tantum exstant reliquiae. Quodsi hanc vim illi tribueris, facile concedes ne rationem quidem illam encomiasticae partis (vitam scilicet secundum temporis ordinem enarrandi) ipsis orationibus funebribus excultam, sed extrinsecus esse illatam. Huic vero sententiae illud maxime argumento esse puto, quod in laudatione temporis series servatur. Huius enim narrandi rationis locus est in unius hominis vita describenda; non tamen illa uteris, si complures praedicabis, quorum diversa aetas fuit, diversa educatio, diversus vitae cursus, diversa condicio, nihil commune nisi mors; quod si consideraveris, admodum verisimile esse censeo encomiorum formam epitaphiorum parti laudatoriae quasi impressam esse; — vide etiam id quod Huerthius p. 9 sq. de hac re disseruit.

2. De Helenae Gorgiana et Helenae Theseique Isocrateis laudationibus.

Ut Alcibiadis encomium ab Isocrate compositum prima laudatio omnium est, quae servatae sunt, sic Gorgiae Helena prima laudatio est, ipsa per se stans. Re vera hanc laudationem a Gorgia scriptam esse post Maassii (Herm. 22, 566 sqq.) et Thielii (Herm. 36, 240 sqq.) dissertationes puto constare. Certi sane desunt termini, quibus tempus huius encomii circumscribatur. Sed quarti saeculi initio illud videtur tribuendum esse, velut anno 393. (id quod Blassius, AB I^2 75, vult), si Helena Isocratis hanc Gorgiae laudationem respici censemus; sed de his cf. infra p. 47 sq.

Iam ipsam Helenam Gorgiae tractemus. Ac primum quidem ordiar a conclusione totius libelli (§ 21): *ἐβουλήθην γράψαι τὸν λόγον Ἑλένης μὲν ἐγκώμιον, ἐμὸν δὲ παίγνιον.* Hoc loco ab ipso

Gorgia libellus *ἐγκώμιον* appellatur; simul primum hic artis vocabulum exstat, quod dignum est, quod accuratius consideretur, vox *παίγνιον*. Varie interpretati sunt viri docti hanc vocem; velut Blassius (AB I² 62. 72. II² 372 al.) vertit „scherzhafte Lob- (oder Tadel-)Reden", Reitzensteinius (Epigr. und Skol., p. 87 sq., adn.) verba *παίζειν καὶ πίνειν* respiciens *παίγνια* putat esse „zur Unterhaltung beim Gelage geschriebene Stücke". Sed iure reiciuntur hae rationes interpretandi a Maassio (Herm. 22, 575 sq.) et a Gerckio (Herm. 32, 355 sq.), qui illum sequitur. Potius enim ad nexum illum delegandum est, qui intercedit inter voces *παίζειν* et *σπουδάζειν* (cf. Isocr. 10, 11; Demetr. *περὶ ἑρμην.* 120; etiam Arist. Rhet. I 9, 1366 a 29). Inde vero colligitur *παίγνιον* secernendum esse a negotiis et iudicialibus et deliberativis et originem ducere ab otiosi temporis studiis, vel ut illorum virorum doctorum verbis utar: „es ist eine Anwendung der Kunst auf ein entlegenes Gebiet", „ein bewußtes, überlegenes Spielen mit dem Stoffe". Quare non possumus non assentiri Ioanni de Arnim (Dion v. Prusa I p. 12) dicenti *παίγνια* esse „Reden, die an einem willkürlich gewählten und an sich bedeutungslosen Gegenstande die formale Kunst des Redners zur Schau stellen und zugleich dem Hörer oder Leser Unterhaltung bieten sollen". Haec interpretatio tota quadrat etiam in Helenam Gorgiae. Enuntiati enim illius sensus hic est: ipse per se libellus *ἐγκώμιον* est, ego vero hoc ita tractavi, ut *παίγνιον* factum sit. Quae ratio tractandi in par. 2 voce *λογισμός* significata est, i. e. variarum opinionum, quae praesertim apud poetas exstant, rationem vult habere et patefacere veras causas rerum ab Helena gestarum. Ac primum quidem ceterorum, quae nobis occurrent, encomiorum ad modum enarratur: *τῶν πρώτων γυναικῶν ἐστι* 1. *γένει,* 2. *φύσει,* cuius prima pars *κάλλος* est, quod tamquam ansam dat ad vitae cursum explicandum. Sed Gorgias subito hanc narrationem incidens, ne id quod omnibus notum sit denuo ostendat (*ὅστις μὲν οὖν καὶ δι' ὅτι καὶ ὅπως ἀπέπλησε τὸν ἔρωτα τὴν Ἑλένην λαβών, οὐ λέξω· τὸ γὰρ τοῖς εἰδόσιν ἃ ἴσασι λέγειν πίστιν μὲν ἔχει, τέρψιν δὲ οὐ φέρει,* 5), illam quam commemoravi ratiocinationem affert rebus ab Helena gestis easque tamquam per ludum tractat cum multa dicendi adhibens lumina, tum ad verisimilitatem omnia referens, quae tum caput erat artis rhetoricae; cf. verba: *καὶ προθήσομαι τὰς αἰτίας, δι' ἃς εἰκὸς ἦν γενέσθαι τὸν τῆς Ἑλένης εἰς τὴν Τροίαν στόλον* (5). Hoc vero propositum in quattuor partes dividitur, quarum paragrapho 21, qua Helena culpa omnino solvitur, denuo mentio fit: *πῶς οὖν χρὴ δίκαιον ἡγήσασθαι τὸν τῆς Ἑλένης μῶμον, ἥτις,* (1) *εἴτε ἐρασθεῖσα* (2) *εἴτε λόγῳ πεισθεῖσα* (3) *εἴτε βίᾳ ἁρπασθεῖσα* (4) *εἴτε ὑπὸ θείας ἀνάγκης*

ἀναγκασθεῖσα ἔπραξεν ἃ ἔπραξε πάντως διαφεύγει τὴν αἰτίαν; Hanc causarum disiunctionem, quae etiam in singulis capitibus saepe occurrit, maxime propriam esse eius, qui *περὶ τοῦ μὴ ὄντος* scripsit, Blassius (AB I² 78) adnotavit. Singulas vero causas accurate deliberando persequitur et tum mulierem culpa absolvit: *εἰ οὖν τῇ τύχῃ καὶ τῷ θεῷ τὴν αἰτίαν ἀναθετέον, τὴν Ἑλένην τῆς δυσκλείας ἀπολυτέον* 6, *δίκαιον οὖν τὴν μὲν οἰκτῖραι* . . . 7, *καὶ ὅτι μὲν εἰ λόγῳ ἐπείσθη, οὐκ ἠδίκησεν, ἀλλ' ηὐτύχησεν, εἴρηται* 15, *(ἔρως) ὃς εἰ μὲν θεὸς . . . πῶς ἂν ὁ ἥσσων εἴη τοῦτον ἀπώσασθαι καὶ ἀμύνασθαι δυνατός; εἰ δ' ἐστὶν ἀνθρώπινον νόσημα καὶ ψυχῆς ἀγνόημα, οὐχ ὡς ἁμάρτημα μεμπτέον, ἀλλ' ὡς ἀτύχημα νομιστέον* 19. Ut taceam de abundantia figurarum et locutionum rhetoricarum, illud quoque velim animadvertas tertiae parti, quae est de *πειθοῖ λόγου,* quasi *ἐγκώμιον λόγου* inseri. *Ἑλένης* igitur *ἐγκώμιον* non est merum encomium; sed propositum par. 5 quasi inflectitur: non vita Helenae describitur, sed ratio habetur causarum, *δι' ἃς* etc. — et hoc paegnii proprium est.

Neque vero haec paegnia sola encomia amplectuntur, sed etiam alias litterarum species; velut *ἀπολογία Βουσίριδος* a Polycrate scripta, dubium non est, quin *παίγνιον* ducendum sit; idem dicendum de oratione illa Lysiae Platonis Phaedro inserta; et Gorgiae ipsius *παίγνιον, ὑπὲρ Παλαμήδους ἀπολογία,* adhuc exstat. Inde efficitur, ut *παίγνια* non species, sed pars quaedam orationum sint et ad tractationem referri debeant, non ad materiam; componuntur enim ad solam artem et eloquentiam ostentandam. Huc etiam *ἐγκώμια παράδοξα* revocanda sunt; apparet enim, quamvis res ipsa levis sit momenti, tamen vim paegnii augeri, si materia difficilis est ad exponendum, quod argumenta vix afferri possunt, velut si laudandus est homo vituperatione maxime dignus. Unde quasi a fontibus repetuntur res absurdis illis laudationibus subiectae. Harum vero paucas novimus inscriptiones, velut *ἐγκώμια ἁλῶν, βομβυλιῶν* (Plat. Conviv. 177 B; Is. Hel. 12), *κυνῶν, μυῶν* (Arist. Rhet. II 24), *χύτρας, ψήφων* (Alex. *περὶ ῥητ. ἀφορμῆς,* RhGr IX 334 W.), alia; ne unum quidem illorum temporum adhuc mansit neque ratio eorum aut ab Anaximene aut ab Aristotele tradita est. Idcirco satis habeas hoc loco me ea commemorare.

Iam transeamus ad Isocratis Helenam explicandam, quam circa annum 393. compositam esse cum Blassio (AB I² 75) statuere possumus; hanc ad Gorgiae Helenam spectare complures viri docti negaverunt (cf. Drerup, Isocr. op. omn. I p. CXXXII sqq.), neque vero recte, ut equidem censeo. Isocrates enim nonnisi unum Helenae encomium se nosse ipse testatur verbis: *τὸν γράψαντα περὶ τῆς Ἑλένης* (§ 14); quod § 15 dicit se *τοῖς ἄλλοις ἐπιτιμᾶν* . . .,

τοὺς ἄλλους non necesse est intellegere ut „laudatores Helenae“, praesertim cum unum tantum modo commemoraverit, sed *οἱ ἄλλοι* sunt omnes, quos supra vituperavit: et ei qui haud idonea argumenta afferunt, et is qui aptam materiam non satis apte tractavit. Et id quod de encomio illo dicit, quod spectat, optime quadrat in Gorgiae Helenam: *περὶ τοιαύτης ἐμνήσθη γυναικός, ἣ καὶ τῷ γένει καὶ τῷ κάλλει καὶ τῇ δόξῃ πολὺ διήνεγκεν* (14; cf. ad hanc dispositionem Gorgiae scripti paragraphos 3 et 4) et potissimum: *φησὶ . . . ἐγκώμιον γεγραφέναι περὶ αὐτῆς, τυγχάνει δὲ ἀπολογίαν εἰρηκὼς ὑπὲρ τῶν ἐκείνῃ πεπραγμένων;* et quod par. 15 proponit: . . . *παραλιπὼν ἅπαντα τὰ τοῖς ἄλλοις εἰρημένα* . . . hoc in primis Gorgiae Helena comparata recte dici Blassius (AB I² 73 sqq. II² 244 sq.) demonstravit. Una restat difficultas, quod Gorgias § 2 prioris temporis sophistis adnumeratur et reprehenditur; sed huic difficultati ita subvenire possumus, ut dicamus illud Gorgiae scriptum (*περὶ τοῦ μὴ ὄντος*) multis annis ante Helenam compositum esse, ita ut Isocrates nonnisi sophistae Gorgiae adversetur, Gorgiam vero rhetorem laudet. Accedit postremo, quod prooemium Helenae, quod illam vituperationem continet, ne minimo quidem vinculo conectitur cum ipso proposito, i. e. Helenae laudatione; cf. Arist. Rhet. III 14, 1414 b 29 sqq.: . . . *καὶ ἐν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς λόγοις δεῖ οὕτω γράφειν· ὅτι γὰρ ἂν βούληται εὐθὺ εἰπόντα ἐνδοῦναι καὶ συνάψαι, ὅπερ πάντες ποιοῦσιν, παράδειγμα τὸ τῆς Ἰσοκράτους Ἑλένης προοίμιον· οὐθὲν γὰρ οἰκεῖον ὑπάρχει τοῖς ἐριστικοῖς καὶ Ἑλένῃ* . . . Quare cum ne ad nostrum quidem propositum hoc prooemium ulla re pertineat, iam ad ipsam Helenae laudationem tractandam accedamus.

Etiam Helenae laudatio tota secundum temporis ordinem fit: primum *γενεαλογία* affertur, deinde vitae cursus enarratur his capitibus subiunctus: *οὔπω ἀκμάζουσα* (18), *πρὸς τὸ μνηστεύεσθαι λαβούσης ἡλικίαν* (39); postea certae significationes desunt. Ipsa tractatio plane abundat locutionibus admodum encomiasticis. Velut ipso initio arte et industria praedicatur consuetudo, quae est inter Iovem et Helenam; velut comparatis Hercule et Helena, quorum uterque a Iove procreatus est, res Helenae scilicet prospere cadit; nam id quod eam ornat, pulchritudo scilicet, ipsum robur potest superare, quod cetera omnia vincit (16). Et ut ille pugnando clarus factus est, sic haec quasi ut certaminis praemium clara facta est; et hoc ipsum etiam propositum totius laudationis esse putaverim: *τῆς δὲ περίβλεπτον καὶ περιμάχητον τὴν φύσιν ἐποίησεν* (sc. *Ζεύς;* 17).

Iam enarrantur petitiones et pugnae, quae ad eam pertinebant; prima Thesei: illius gratia patriam relinquit, ad omne periculum se opponit, quin etiam Pirithoo, qui Helenam rapientem se

adiuverit, gratiam eo refert, ut cum illo ad inferos se conferat. Summam huius partis § 21 continet: Theseus non erat *εἷς τῶν τυχόντων*, non una tantum virtute excellebat, sed omnibus; asseritur igitur ad hanc partem primam Thesei laudatio (23—38). Etiam ad hanc rem conferri potest Aristotelis locus (Rhet. III 17, 1418 a 33 sq.): *ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς δεῖ τὸν λόγον ἐπεισοδιοῦν ἐπαίνοις, οἷον Ἰσοκράτης ποιεῖ· ἀεὶ γάρ τινα εἰσάγει;* cf. etiam Paridis facta simili modo inserta (41—48).

Summa laudationis Thesei (quam mox tractabimus) comprehensa (39) Isocrates ad ceteros procos commemorandos transit, qui patriae puellis longe praeponentes Helenam solam petunt. Annectitur vero tota narratio ad voces (40): *πρόδηλος ἦν ἅπασιν ἐσομένη περιμάχητος*; nam iure iurando se obstringunt servaturos se esse Helenam uxorem marito contra rapientem quemlibet, se quisque scilicet maritum futurum esse sperans; et hoc ipsum causae erat bello Troiano (ad quod omnia, quae sequuntur, pertinent): *τῆς μὲν οὖν ἰδίας ἐλπίδος πλὴν ἑνὸς ἀνδρὸς ἅπαντες ἐψεύσθησαν, τῆς δὲ κοινῆς δόξης ἧς ἔσχον περὶ ἐκείνης οὐδεὶς αὐτῶν διήμαρτεν* . . . Iam via reliquae narrationis his verbis parata est: deae certant de pulchritudine, Paris iudex fit, anteponit ceteris donis Helenam, non *ἡδονὰς* scilicet spectans, sed *εὐγένειαν* (— 44), ut industrius laudandi Isocrates statim affirmat.

Sic Paris auctor factus est belli Troiani, et propterea a multis ei male dictum est, sed iniuria. Nam quem ipsi dei arbitrum creant, eum *βέλτιστον κριτὴν* esse apparet: *τοιαύτης δὲ τιμῆς τυχεῖν ὥστε θνητὸν ὄντα θεῶν γενέσθαι κριτὴν οὐχ οἷόν τε μὴ οὐ τὸν πολὺ τῇ γνώμῃ διαφέροντα*; accedit alterum: quidni deos de pulchritudine *φιλονικοῦντας* videns ipse quoque *κάλλος* sibi petat? (— 48).

Tum bellum Troianum tractatur. *τίς δ' ἂν τὸν γάμον τῆς Ἑλένης ὑπερεῖδεν, ἧς ἁρπασθείσης* . . . (49): hac una tantum voce raptus significatur et simul narratio apte progreditur; similes annectendi rationes inveniuntur in paragr. 41, 52, 60. Locis inter se oppositis (cf. in primis § 50) acute conexis et confusis vis belli magnopere augetur; Helenae gratia primum bellum oritur inter duas orbis terrarum partes (— 51), non solum inter Graecos et barbaros, sed etiam inter deorum prognatos, quin etiam inter deos ipsos (— 53). Et hoc fit solum propter pulchritudinem, quae summum bonum putari debet. Sequitur igitur *ἐγκώμιον κάλλους* (54—60; cf. simile *λόγου ἐγκώμιον* Gorgiae Helenae insertum) *ἀνθρωπίναις δόξαις* primum (54—58), deinde divinis exemplis allatis compositum (59 sq.) in haec summa verba exiens: *μέγιστον δὲ τῶν εἰρημένων· πλείους γὰρ ἂν εὕροιμεν διὰ τὸ κάλλος ἀθανάτους γεγενημένους ἢ διὰ τὰς ἄλλας ἀρετὰς ἁπάσας* (60).

Postremo ea quoque tanguntur, quae *δυνάμει ἰσοθέῳ* (61) perfecit: fratres et maritum immortales (61—63), Stesichorum convicia facientem caecum, Homerum clarum reddidit (64 sq.); quin etiam, quod Graeci barbarorum potestate liberati sunt, et multa alia ei potissimum possunt tribui (66 sqq.).

Diutius, quam necesse erat, Helenae tractandae vacavi; sed feci hoc, ut id quod in Helenae laudatione maxime elucet, artem encomiasticae dico superlationis, etiam in argumento encomii explicando paucis ostenderem; illius enim artis quasi specimen est Helena Isocratis. Ubique denuo semper Helenae laus augetur, solium eius, ut ita dicam, extollitur novis quasi fulturis suppositis. Gradatim Helena augetur: primum Hercule, tum Theseo, deinde Paride commemoratis, summo bello, quod ab hominibus ad heroas, quin etiam ad ipsos deos ascendit, de illa pugnato; augendi vero quasi cacumen *ἐγκώμιον* illud *κάλλους* est; cui non solum res humanae, sed ipse Iuppiter parere dicuntur; postremo tamquam epilogo proferuntur, quae Helena immortalis perfecit; quae facta ab eius temporibus usque ad praesentem aetatem pertinent; nam *δικαίως ἂν καὶ τοῦ μὴ δουλεύειν ἡμᾶς τοῖς βαρβάροις Ἑλένην αἰτίαν εἶναι νομίζοιμεν* (67). Thielius haud iniuria totum libellum elatione orationis eminentem appellavit: „eine Predigt auf die Schönheit“; verumtamen tota natura encomii (id quod ille negavit) plane servatur; velut formam externam spectes: omnis laus inseritur accuratae vitae cursus descriptioni, id quod iam in Alcibiadis encomio, in epitaphiis, in Gorgiae Helenae quodam modo nobis occurrit.

Helenae encomium et ipsum nihil aliud esse nisi *παίγνιον* iam inde censeo posse cognosci, quod Gorgiae Helenae respondet, quam ipse ille *παίγνιον* esse professus est. Paegniorum quoque est, quod Isocrates postulat, ut semper nonnulla afferantur, *ἃ μηδεὶς πρότερον εἴρηκεν* (13; cf. etiam 15). Quod non aliter potest intellegi nisi: quo magis excellat is qui laudat, et appareat, qualis in eo et quanta sit dicendi et „philosophandi“ facultas (ut hanc vocem sensu Isocrateo usurpem). Denique paegnii maxime propria est *κάλλους* laus; nam haec recte dici potest „ein bewußtes, überlegenes Spielen mit dem Stoffe“. Apparet enim Isocratem minus operam dare, ut hac re Helenam celebret, quam ut suam artem dicendi ostentet. Et hanc artem re vera maiorem esse quam Gorgiae Helenae encomio ostentatam et huius laudationem Isocratis Helena plane obscurari quis est qui contra dicat?

Quoniam hoc specimen encomiasticum accurate explicavi, paucis absolvere possum encomium Thesei Helenae insertum. Ipsa ratio laudandi plane eadem est, sed ratio disponendi longe

aliena est ab Helenae ratione. Strictim genere commemorato et Hercule comparato (23 sq.) facta enumerantur (25—28); sed haec enumeratio § 29 ut *ἔξω τῶν καιρῶν οὖσα* abrumpitur et iam capiti *ἀνδρείας* (31) subiungitur, cui aliae virtutes simul cum factis asseruntur. Haec est Thesei laudationis dispositio:

[1. *γένος*; sed nonnisi leviter tangitur, ita ut *γενεαλογία* vix dici possit;]

2. *ἔργα*:
   - *α*) taurum Marathonium occidit;
   - *β*) pugnae Centaureae interfuit;
   - *γ*) Minotaurum interfecit;
   - *ε*) Scironem et Cercyonem eum perdidisse strictim narratur;

   quae omnes res gestae fortitudini subsumuntur:
   - a) *τὴν μὲν ἀνδρίαν ἐν τούτοις ἐπεδείξατο τοῖς ἔργοις*;
   - b) *ἐπιστήμην ἣν εἶχε πρὸς τὸν πόλεμον* — *ἐν ταῖς μάχαις, αἷς μεθ' ὅλης τῆς πόλεως ἠγωνίσατο*;
   - c) *ἡ εὐσέβεια ἡ πρὸς τοὺς θεούς* — *ἐν τε ταῖς Ἀδράστου καὶ ταῖς τῶν παίδων τῶν Ἡρακλέους ἱκετείαις*;
   - d) *ἡ ἄλλη ἀρετὴ καὶ σωφροσύνη* — [*ἐν τῇ πόλεως διοικήσει*].

3. De Busiridis encomio.

Propriam quandam vim habet Busiridis encomium; quid sibi velit, prooemio explicatur. Per ironiam scilicet Isocrates Polycratem adversarium dicit se mendum quoddam velle docere; re vera hoc scripto adversarium hominum risui dare et plane perdere vult. Polycratem enim dicit *ἀπολογίαν Βουσίριδος* scribere volentem contrarium potius perfecisse, i. e. *ὁμολογίαν τῶν ἐπικαλουμένων* (44); accedere, quod *συγκρίσεις* eius (7) plane falsae sint et quod sub capite *γενεαλογίας* (8) cum Busiride ut aequales coniungat homines multo posterioris aetatis. Iam illum se de recta via et laudandi et defendendi docere velle fingit: *ἵνα δὲ μὴ δοκῶ τὸ προχειρότατον ποιεῖν ἐπιλαμβάνεσθαι τῶν εἰρημένων* [*μηδὲν ἐπιδεικνὺς τῶν ἐμαυτοῦ*], *πειράσομαί σοι διὰ βραχέων δηλῶσαι περὶ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν, καίπερ οὐ σπουδαίαν οὖσαν οὐδὲ σεμνοὺς λόγους ἔχουσαν, ἐξ ὧν ἔδει καὶ τὸν ἔπαινον καὶ τὴν ἀπολογίαν ποιήσασθαι* (9). Horum verborum alicuius momenti sunt haec: *καίπερ οὐ σπουδαίαν οὖσαν οὐδὲ σεμνοὺς λόγους ἔχουσαν*, i. e. quamvis tales res non nisi paegnio tractari soleant eoque *ἀδόξῳ*. Quare admodum leviter propositum explanat: 10—36 encomium adumbrat, reliqua parte defendendi ratio describitur (cf. 37: *καίτοι τὸν βουλόμενον ἀπολύσασθαι*). Ac primum

quidem genealogia profertur (10), quae typicis verbis encomiasticis finitur (cf. supra p. 43); sequitur narratio secundum vitae cursum instituta, sed admodum exilis; nam quid erat laudandum in homine, qui humanis corporibus vescebatur et de quo nihil fere constabat nisi haec ipsa crudelitas? Libyam patriam reliquit et in Aegypto regnum condidit *τὴν ἐκεῖ πολὺ διαφέρειν οἴκησιν* (11) putans. Describitur igitur praeclara illa terra et quid ibidem perfecerit, quomodo populum et simul operas in genera distribuerit, quid singulorum generum homines fecerint, quid *τεχνῖται*, quid *στρατιῶται*, quid *ἱερεῖς*, quales litterae, cultus deorum, philosophia fuerint; Isocrates ipse haec omnia comprehendit (30): *ὅτι τὴν μὲν χώραν* (11—14) *καὶ τοὺς νόμους* (15—23) *καὶ τὴν εὐσέβειαν* (24—27) *καὶ τὴν φιλοσοφίαν* (28 sq.) *ἐπαινῶ*, sane *τῶν Αἰγυπτίων*: nam hoc sane mirum est, quod Busiris primum saepe, tum raro, postremo nunquam auctor harum rerum esse dicitur: *ἤρξατο . . . κατέστησεν . . . ἔτρεψεν* 15, *προσέταξεν* 16, *καὶ μὲν δὴ καὶ τῆς περὶ τὴν φρόνησιν ἐπιμελείας εἰκότως ἄν τις ἐκεῖνον αἴτιον νομίσειεν . . . παρεσκεύασεν* 21, *ἐκεῖνος κατέστησεν . . . ἐνόμιζεν* 26. Ipse Isocrates animadvertit rarius nominari Busiridem, cf. 30: *ἴσως ἂν οὖν τοῖς εἰρημένοις ἀπαντήσειας, ὅτι τὴν μὲν χώραν . . . ἐπαινῶ τὴν Αἰγυπτίων, ὡς δὲ τούτων αἴτιος ἦν, ὃν ὑπεθέμην, οὐδεμίαν ἔχω λέγειν ἀπόδειξιν.* Sed facultate vituperandi sic Polycrati data denuo utitur, ut in eius „Busiridis defensionem“ invehatur: et ipsum illum (31) multa affirmasse, non tamen demonstrasse, quare hoc ab aliis ne postulet. Praeterea multum interesse inter illum et se ipsum: se Busiridi nihil tribuisse, quod fieri non posset, sed optimi hominis facta, illum Busiridem partim ad deos extulisse, partim bestiis paene deteriorem fecisse; et si uterque peccasset, ipsum se protulisse, quae laude digna essent, illum ideam laudandi plane non esse assecutam. Sed tum re vera Isocratis demonstratio sequitur, eaque *ἐξ εἰκότων* deducta (34 sq.): non constare, quis fuerit auctor cultus illius et humanitatis; sed quem alium verisimile esse auctorem putandum esse nisi *τὸν ἐκ Ποσειδῶνος μὲν γεγονότα, πρὸς δὲ μητρὸς ἀπὸ Διὸς ὄντα, μεγίστην δὲ δύναμιν τῶν καθ' αὐτὸν κτησάμενον καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ὀνομαστότατον γεγενημένον*? Huc usque encomium Busiridis est.

Quid iudicandum de miro hoc encomio? Constat Isocratem *τὴν ἰδέαν, δι' ἧς εὐλογεῖν δεῖ*, optime nosse; nec minus apparet hunc libellum non esse planum Busiridis encomium. Quid causae est? Ac primum quidem, id quod iam supra significavi, materia laudandi plane fere deerat, ita ut potius admirandum sit, qua arte Isocrates res aliquo modo aptas congesserit. Tum caput totius scripti non videtur esse, id quod simulat, ut quasi specimen laudandi et defendendi Polycrati proponat, sed ut Polycratis auctoritatem plane

perdat. Alicuius quoque, quamvis levioris momenti, est § 9, quam supra exscripsi; hic est eius sensus: „quamvis proposita haud seria parvi aestimem, tamen menda tua hac hypothesi usus tibi patefaciam, non quo *ἐπίδειξιν* faciam, sed nonnisi ut monstrem tibi laudandi rationem (cf. 44)". Tum proponit res strictim, ut videtur, tantum praeparatas, re vera tamen diligenter perpensas; et nonnisi verbo et simulatione § 30 ipse sermonem ut aberrantem a proposito interrumpit; nam certo persuasum sibi habet in encomiis, in quibus multa etiam plane fingi possint (§ 4), argumentum *ἐξ εἰκότων* (quod in Helena ubique invenitur) sine ulla dubitatione admittendum esse. Quod igitur ipse sermonem interrumpit, nihil aliud in animo habet, nisi ut Polycrati denuo summopere obtrectet, id quod etiam in conclusione totius libelli apertum fit (44—50). — Encomium igitur profecto Busiris continet; sed cum non tam Busiridis laudatio sit, quam cultus Aegyptiorum, ad nostrum propositum vix pertinet. Post *γενεαλογίαν* (10) animadverti potest vitae cursum describi incipere: emigrat (11—14), *ἤρξατο* . . . (15), *μετὰ δὲ ταῦτα* (15); sed paulo post ipsa Busiridis persona plane neglegitur.[1])

4. De Amoris encomiis Platonis convivio insertis.

Post Busiridem ad convivii Platonis *ἐρωτικοὺς λόγους* accedamus. Talia proposita tum et saepe et libentissime tractari solita esse Wendlandius (An. v. L., p. 72) monuit ad *λόγους ἐρωτικοὺς* Lysiae et Socratis Platonis Phaedro exhibitos delegans. In convivio vero hae orationes etiam encomii formam prae se ferunt, voce „encomium" scilicet latiore sensu usurpata; nam cum dispositiones et argumenta singularum orationum admodum diversa sint, sola augendi ratione (quam Socrates dicit: *τὸ ὡς μέγιστα ἀνατιθέναι τῷ πράγματι* 198 E) fieri potest, ut encomia appellentur. Hac lege etiam Pausaniae ieiuna et docta oratio *ἐγκώμιον* dici potest, quamvis ipsa superlatio encomiastica fere desit; cuius orationis (180 C—185 C) haec est dispositio (180 D): *πρῶτον μὲν Ἔρωτα φράσαι ὃν δεῖ ἐπαινεῖν, ἔπειτα ἐπαινέσαι ἀξίως τοῦ θεοῦ.* Quin etiam fabula Aristophanis (189 C—193 E) ut *ἐγκώμιον* a convivis

---

[1]) nuper Henricus Gomperz (Wiener Stud. 27, 163 sqq.; 28, 1 sqq.) Isocratis Busiridem ad Platonis Phaedrum referendum esse contendit; si recte hoc contendit, id quod supra explicavi, etiam confirmatur. Nam si iam eo, quod in Polycratem semper invehitur, progressus encomii turbatur, quo magis turbari illud putandum est, si Gomperzium ducem sequentes statuimus, praesertim in parte laudatoria multa Platonica inseri? Sed omittamus hanc hypothesin nondum satis spectatam et probatam.

accipitur. Verumtamen hanc Aristophanis orationem omittamus, cum non laudandi rationem praebeat, quam nos spectamus, i. e. laudationem personae. Tum relinquuntur tres orationes. Phaedri encomium (178 A—180 B) admodum dilucidum est; partes enim eius hae sunt: 1. *τὴν γένεσιν πρεσβύτατος*, 2. *μεγίστων ἀγαθῶν ἡμῖν αἴτιος — τῆς ἐπὶ τοῖς αἰσχροῖς αἰχύνης, ἐπὶ τοῖς καλοῖς φιλοτιμίας*, 3. *καὶ μὴν ὑπεραποθνῄσκειν γε μόνοι ἐθέλουσιν οἱ ἐρῶντες*, et huius vitae devotionis exempla afferuntur Alcestis et Achilles. Postremo res disperse dictae in unum locum coguntur: *οὕτω ἔγωγέ φημι Ἔρωτα θεῶν καὶ* (1) *πρεσβύτατον καὶ* (2) *τιμιώτατον καὶ* (3) *κυριώτατον εἰς ἀρετῆς καὶ εὐδαιμονίας κτῆσιν ἀνθρώποις καὶ ζῶσι καὶ τελευτήσασιν*. Eryximachi orationis (186 A—188 E), cuius initium annectitur orationi Pausaniae amorem bipertitum esse volentis quamque medici esse orationem ubique apertum fit, caput in hisce verbis ponendum est (188 D): *πᾶσαν δύναμιν ἔχει, ξυλλήβδην μὲν ὁ πᾶς Ἔρως, ὁ δὲ περὶ τἀγαθὰ μετὰ σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης ἀποτελούμενος καὶ παρ' ἡμῖν καὶ παρὰ θεοῖς, οὗτος τὴν μεγίστην δύναμιν ἔχει καὶ πᾶσαν ἡμῖν εὐδαιμονίαν παρασκευάζει* . . . id quod antea demonstratum est *ἰατρικήν, ἀστρονομίαν,* [*μαντικήν,*] [*γυμναστικήν,*] [*γεωργίαν,*] *μουσικήν* perlustrando. Sed ne his quidem orationibus ipsam indolem et personam Amoris recte describi Agatho, cuius oratio (195 A—197 E) postremo ponitur, censet (194 E): *δοκοῦσι γάρ μοι πάντες οἱ πρόσθεν εἰρηκότες οὐ τὸν θεὸν ἐγκωμιάζειν, ἀλλὰ τοὺς ἀνθρώπους εὐδαιμονίζειν τῶν ἀγαθῶν ὧν ὁ θεὸς αὐτοῖς αἴτιος*.

Hoc Agathonis *ἐγκώμιον Ἔρωτος* re vera supra illa quasi tirocinia laudatoria exstat atque eminet et singulari artificio perfectum vim eloquentiae optime illustrat. Quare Plato illud postremo loco videtur posuisse, non quod ipse quoque permagni hoc encomium aestimet, sed quo magis discrepet laudatio illa ab oratione Socratis, quae, quamvis simplex atque tenuis esse videatur rhetoribus, gravitate et sublimitate sententiarum artis rhetoricae ornatum inanem rerumque inopem perdit atque contundit. Hanc Agathonis orationem ratione Gorgiana dilucidissime expolitam etiam dispositam esse secundum Gorgiae leges verisimile est; huius dispositionis (cuius partes proferuntur 195 A) schema hic propono:

τὸν Ἔρωτα δίκαιον ἐπαινέσαι:

I. *πρῶτον αὐτὸν οἷός ἐστιν — εὐδαιμονέστατος*:

A. *κάλλιστος* [laudatur *κάλλος* 195 A—196 B]:

1. *νεώτατος τῶν θεῶν* 195 B, C;
2. *ἁπαλώτατος* 195 D, E;
3. *ὑγρὸς τὸ εἶδος* 196 A, B;

B. *ἄριστος* [laudatur *ἀρετή* 196 B—197 C]; ostenduntur eius:

1. *δικαιοσύνη* 196 B, C;
2. *σωφροσύνη* 196 C;
3. *ἀνδρεία* 196 C, D;
4. *σοφία* 196 D—197 C; est enim *ποιητής*:
    a) *πᾶσαν ποίησιν τὴν κατὰ μουσικήν* 196 E;
    b) *τὴν τῶν ζώων ποίησιν* 197 A;
    c) *τὴν τῶν τεχνῶν δημιουργίαν* 197 A—C: *τοξικῆς, ἰατρικῆς, μαντικῆς, μουσικῆς, χαλκείας, ἱστουργίας, κυβερνήσεως.*

II. *αἱ δόσεις* (195 A) = *ἐμοὶ δοκεῖ . . . Ἔρως (πρῶτος αὐτὸς ὢν κάλλιστος καὶ ἄριστος μετὰ τοῦτο) τοῖς ἄλλοις ἄλλων τοιούτων αἴτιος εἶναι* (197 C) — 197 C—E; et iam afferuntur sine coniungendi particula plerumque et binis rebus inter se oppositis dona et proprietates Amoris adnominata saepe et figuris Gorgianis implexa; cf. 197 D: *πραότητα μὲν πορίζων, ἀγριότητα δὲ ἐξορίζων· φιλόδωρος εὐμενείας, ἄδωρος δυσμενείας.*

Haec Amoris encomia etiam aliis de causis digna sunt, quibus animos advertamus. Velut et ipsa ut encomia supra prolata paegnii formam prae se ferunt. Quod iam eo indicatur, quod in convivio dicuntur: otii enim quasi fructus sunt; verumtamen quodammodo ambigua est ratio eorum: nam ab altera parte re vera viri illi id operam dant, ut veram Amoris naturam et virtutes describant. Quae ambiguitas optime videtur exprimi Agathonis orationis conclusione (qua Gorgiae Helenae extremae partis ipsis verbis memoria movetur): *οὗτος . . . ὁ παρ' ἐμοῦ λόγος . . . τῷ θεῷ ἀνακείσθω* (cf.: *Ἑλένης μὲν ἐγκώμιον*), *τὰ μὲν παιδιᾶς, τὰ δὲ σπουδῆς μετρίας, καθ' ὅσον ἐγὼ δύναμαι, μετέχων* (cf.: *ἐμὸν δὲ παίγνιον*).

Deinde locos quosdam in primis laudatorios, qui postea saepe nobis occurrunt, significaverim; velut id quod *εὐγένεια* ubique praedicatur, quod omnia nimis laudibus efferuntur, ita ut persaepe superlationes usurpentur. Quibus omnibus in rebus primum locum tenet Agathonis oratio Gorgiano stilo scripta Gorgianisque referta locutionibus, cum ipsa quoque adhibeat multos locos laudatorios; velut quod opponit indolem et res gestas (*οἷός ἐστιν* et *αἱ δόσεις*); comparandum est discrimen, quod apud posteros intercedit inter *ἀρετὴν* et *πράξεις*; vel quod ad virtutis partes notas illas quattuor in dispositione provocat: *δικαιοσύνην, σωφροσύνην, ἀνδρείαν, σοφίαν*, a quibus secluditur *κάλλος* (cf. infra p. 80 sq.); alia.

Denique pauca de ratione laudandi in universum hic adnotem vel potius Socratem inducam adnotantem; nam si illam describere vis, optime uteris ipsius Socratis verbis (198 C—E), quae

ad orationes amatorias convivii spectantes etiam ad omnes laudationes pertinent: *καὶ ἐνενόησα τότε ἄρα καταγέλαστος ὢν ἡνίκα ὑμῖν ὡμολόγουν ἐν τῷ μέρει μεθ' ὑμῶν ἐγκωμιάσεσθαι τὸν Ἔρωτα καὶ ἔφην εἶναι δεινὸς τὰ ἐρωτικά, οὐδὲν εἰδὼς ἄρα τοῦ πράγματος, ὡς ἔδει ἐγκωμιάζειν ὁτιοῦν. ἐγὼ μὲν γὰρ ὑπ' ἀβελτερίας ᾤμην δεῖν τἀληθῆ λέγειν περὶ ἑκάστου τοῦ ἐγκωμιαζομένου, καὶ τοῦτο μὲν ὑπάρχειν, ἐξ αὐτῶν δὲ τούτων τὰ κάλλιστα ἐκλεγομένους ὡς εὐπρεπέστατα τιθέναι· καὶ πάνυ δὴ μέγα ἐφρόνουν ὡς εὖ ἐρῶν, ὡς εἰδὼς τὴν ἀλήθειαν τοῦ ἐπαινεῖν ὁτιοῦν. τὸ δὲ ἄρα, ὡς ἔοικεν, οὐ τοῦτο ἦν τὸ καλῶς ἐπαινεῖν ὁτιοῦν, ἀλλὰ τὸ ὡς μέγιστα ἀνατιθέναι τῷ πράγματι καὶ ὡς κάλλιστα, ἐάν τε ᾖ οὕτως ἔχοντα ἐάν τε μή· εἰ δὲ ψευδῆ, οὐδὲν ἄρ' ἦν πρᾶγμα. προὐρρήθη γάρ, ὡς ἔοικεν, ὅπως ἕκαστος ἡμῶν τὸν Ἔρωτα ἐγκωμιάζειν δόξει, οὐχ ὅπως ἐγκωμιάσεται. διὰ ταῦτα δή, οἶμαι, πάντα λόγον κινοῦντες ἀνατίθετε τῷ Ἔρωτι* ... Non dubitavi tot verba exscribere, cum tam acute atque vere dicta sint. Quod Socrates reprehendit, id potissimum Isocrates dicit encomiorum maxime proprium esse, cf. Bus. 4: *ἁπάντων (γὰρ) εἰδότων, ὅτι δεῖ τοὺς μὲν εὐλογεῖν τινὰς βουλομένους πλείω τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς προσόντ' ἀποφαίνειν* ... Socratis vero sive Platonis sententia illa aetate sola fere est neque alicuius momenti erat ad encomia formanda, cum ipsum principale encomium, Euagoram dico Isocratis, prorsus eandem rationem persequeretur.

5. De Xenophontis laudatione Cyri (Anab. I 9).[1]

Sed priusquam ad Euagoram explicandum accedamus secundum rationem componendi et laudandi et fortasse etiam secundum temporis ordinem (id quod haud scio an ex illa ratione explicandi sequatur) tractari necesse est Cyri encomium Anabasi Xenophontis insertum. Annectitur ad mortis Cyri narrationem; argumentum vero hoc est. Proponitur Cyrum fuisse *ἄνδρα ὄντα Περσῶν τῶν μετὰ Κῦρον τὸν ἀρχαῖον γενομένων βασιλικώτατόν τε καὶ ἄρχειν ἀξιώτατον* (1). Sequitur *παιδείας* (*παῖς ὢν* 2) descriptio, cuius omnes partes adiectivis superlativis significantur. Propositum est: *πάντα πάντων κράτιστος* (2), quod tractatur his capitibus: *αἰδημονέστατος, φιλιππότατος, τοξικῆς τε καὶ ἀκοντίσεως φιλομαθέστατος καὶ μελετηρότατος* (5). Deinde iuventuti (*ἡλικία* 6) subiunguntur capita *φιλοθηρότατος καὶ πρὸς τὰ θηρία φιλοκινδυνότατος* et exemplum affertur. Reliqua vitae et personae descriptio ad *σατραπείας* (7) mentionem annectitur, Afferuntur et exemplis probantur quattuor animi vir-

---

[1]) cf. Leo p. 88; Bruns pp. 142—144.

tutes (7—28): a) *περὶ πλείστου ποιούμενος μηδαμῶς ψεύδεσθαι* (7—10); b) *νικᾶν πειρώμενος . . . εὖ ποιῶν καὶ τιμωρῶν* (11—13); c) *διαφερόντως τιμῶν τοὺς ἀγαθοὺς εἰς πόλεμον* (14—19); d) *συνεργὸς τοῖς φίλοις κράτιστος* (20—28), ita ut ipse quoque ab omnibus amaretur, cui rei testimonio est, quod amici ei usque ad mortem fidem servaverunt (29—31; epilogi instar sunt hae paragraphi). — Rursus in hoc encomio *τόποι ἐγκωμιαστικοὶ* inveniuntur; velut in primis designandae sunt superlationes adiectivorum identidem exstantes; comparari possunt laudationes Platonis convivio inclusae, velut 195 A: *Ἔρως εὐδαιμονέστατος, κάλλιστος καὶ ἄριστος*, vel 180 B: . . . *Ἔρως . . . πρεσβύτατος καὶ τιμιώτατος καὶ κυριώτατος εἰς . . .*; cf. etiam Is. 15, 111 et 16, 28: *Περικλῆς . . . σωφρονέστατος, σοφώτατος, δικαιότατος*; etiam conv. 188 D comparari potest. Neque tamen illae superlationes ipsam Cyri epilogi dispositionem efficiunt, ut in Agathonis oratione; alius potius *τόπος* hic affertur, quem in Alcibiadis et Helenae encomiis invenimus, quod secundum aetatis gradus partes encomii disiunguntur: *παῖς ὤν* 2, *ἡλικία* 6, *σατράπης* 7.

6. De prooemio Euagorae et de origine prosae orationis encomiorum.

Omnes quaestiones universas et, quibus origo prosae orationis encomiorum tangitur, industria omittens sola ipsa encomia quidque eorum proprium esset, adhuc explicavi. Iam vero quaestiones illae movendae sunt; ad Euagorae enim encomium, quod iam tractandum est, vel ad eius prooemium controversiae illae pertinent, quae ante hos paucos annos exstiterunt de encomiorum prosae orationis origine.

Prooemium Euagorae in duas partes divisum est, quarum priore Nicocli, Euagorae filio, totum encomium dedicatur; maxime enim dicit Isocrates omnium inferiarum hanc laudationem honori futuram summamque gloriam allaturam esse regi mortuo. Posterior vero pars latius patet: ad omnes enim homines literatos Isocrates se convertens in universum disserit de ratione laudationum. Queritur homines antiquissimorum temporum, velut belli Troiani, celebrari, aequales vero neglegi (5 sq.); causam esse dicit invidiam eorum, qui audiant (6); sed hanc esse superandam (7).

Ac primum quidem iam hic videtur Isocrates adversari poetis; vocibus enim *ὑμνούμενοι καὶ τραγῳδούμενοι* tota poesis significari et prosae orationi (cui Isocrates aequalium laudationes tribuit) opponi videtur. Sed aliter senties, si similem locum (antidos. 136 sq.) comparabis: . . . *καίτοι πόσους οἴει διὰ τὰς τούτων* (sc. *ῥητόρων*) *ψευδολογίας τοὺς μὲν συμφοραῖς περιπεπτωκέναι, τοὺς*

δ' ἀτίμους εἶναι, πολὺ σπουδαιοτέρους καὶ πλείονος ἀξίους γεγενημένους τῶν ᾀδομένων καὶ τραγῳδουμένων; ἀλλ' οἱ μέν, οἶμαι, ποιητῶν ἔτυχον καὶ λογοποιῶν, οἱ δ' οὐκ ἔσχον τοὺς ὑμνήσοντας . . . Hic eodem verbo *(ὑμνεῖν)* etiam *λογοποιοὶ* una cum poetis comprehenduntur; item res se habet in Euagorae prooemio, neque aliter se habere potest; nam etiam a prosae orationis scriptoribus personas mythicas celebrari sine dubio iam propterea Isocrati notum erat, quod ipse Helena laudata hanc viam inierat. Opponuntur igitur hic non poesis et prosa oratio, sed oppositum describitur vocibus: *ἐπαινεῖν τοὺς ἐφ' αὑτῶν ἄνδρας ἀγαθοὺς γεγενημένους* (id quod non fit) 5 et *τοὺς περὶ τὰ Τρωϊκὰ καὶ ἐπέκεινα γενομένους ὑμνουμένους καὶ τραγῳδουμένους* (= *ἐπαινουμένους;* quem morem esse queritur) 6; et trium illarum paragraphorum (5—7) sensus hic est: id operam do, ut aequales potius laudentur, et talis laudationis specimen iam propono.

Hoc iam § 5: *ἐχρῆν μὲν οὖν καὶ τοὺς ἄλλους ἐπαινεῖν κτἑ.* leviter significatur; premitur vero §§ 8 sqq. Hic proponitur, quod neminem usque eo prosae orationis scriptorum tractasse contendit: *ἀνδρὸς ἀρετὴν διὰ λόγων ἐγκωμιάζειν.* Paragraphi 8—12 facile annecti possunt paragrapho 4: nam de aequalibus, ut §§ 5—7, hic non iam agi videtur, cum simpliciter ponatur: *ἀνδρὸς ἀρετὴν* etc. Sed de his infra disseremus. Caput totius partis est: *διὰ λόγων.* Hic prosae orationis scriptores (nam hos esse *τοὺς περὶ τὴν φιλοσοφίαν ὄντας* ex par. 10 intellegitur) opponuntur poetis: illi quamvis multa tractaverint, hoc profecto nondum attigerunt, cum poetas superaturos se esse sperare vix possent, qui ornamentis omnes homines caperent, ita ut argumenta tenuissima orationis formositate obtegere possent (9—11). Isocrates poetas in universum spectat et postremo demum lyricos significat: *τῶν ἐν ταῖς ᾠδαῖς καὶ τοῖς μέτροις ἐγκωμιαζόντων.*[1])

Ad hoc Euagorae exordium multae quaestiones pertinent accuratius tractandae. — Quod Isocrates dicit primum se *ἀνδρὸς ἀρετὴν διὰ λόγων ἐγκωμιάζειν,* nemo ante Wilamowitzium adversatus est; hic vero Isocratem impugnat (Herm. 35, 533 sq.) Aristotelis loco supra p. 23 allato nisus: Hippolochi encomium esse primum encomium; et ipse coniectura colligit, quid hoc encomium continuerit. Contra Leo (p. 91) affirmat: „die Erfindung und Begründung dieses *εἶδος* gehört dem Isokrates". Hürthius (p. 6 et 10 not. 6) huic assentiens voce *ἐγκώμιον* illa aetate plerumque

---

[1]) Blassius (AB II² 285) recte monet hoc prooemium optime quadrare ad ea, quae Aristot. Rhet. III 14, 1415 a 6 sq. de *ἐπιδεικτικῶν λόγων* prooemiis praecepit: . . . *ἐξ ἐπαίνου* = 1—4, *ἐκ προτροπῆς* = 5—7, *ἐκ τῶν πρὸς τὸν ἀκροατήν* = 8—11.

carmen epinicium significari contendit. Equidem censeo ex Aristotelis ipso testimonio nihil posse colligi, cum haud constet, utrum ad prosae orationis encomium an ad poeticum pertineant Aristotelis verba, neque ita perspicuum sit, quis sit omnino Hippolochus ille.

Verumtamen perscrutandum esse puto, num Isocrates merito sibi illud vindicaverit. Ac primum quidem potuitne fieri, ut Athenis novum aliquid se excogitasse affirmaret, nisi re vera novitatem quandam suo iure sibi assumpsit? Deinde si ipsa eius verba examinamus, recte illud videtur dicere: primum se *ἀνδρὸς ἀρετὴν κτἑ.* Vox illa omnino alicuius momenti videtur esse; potest enim opponi et voci *ἥρωος* et *γυναικός* et *παιδός*, fortasse omnibus his vocibus. Conferamus encomiorum titulos servatos; sunt hi, quos quidem invenerim: 1. encomia adhuc exstantia: Isocratis Alcibiades (16, 25—41), Gorgiae Helena, Isocratis Helena (10), Theseus (10, 23—27), Busiris (11), orationes amatoriae Convivio insertae, Xenophontis Cyrus (Anab. I 9), Isocratis Euagoras (9) — post Euagoram: Xenophontis Agesilaus, Isocratis Nicocles (3, 29—47), Archidamus (ep. IX 3 sqq.), Timotheus (15, 101—139), Hercules (5, 109 sq.), Agamemnon (12, 70—87), aliorum reliquiae (cf. infra p. 72 sq.); — 2. encomiorum non iam exstantium tituli: pseudoisocratea Clytaemestrae, Neoptolemi, Menecratis, Penelopae (Isocr. II 274 Bl.), Polycratis Paris (Or. Gr. II 244 Sauppe), Gorgiae Achilles (Arist. Rhetor. III 17, 1418a, 35 sqq.; Vahleno (Herm. 10, 455 sq.) hoc encomium Gorgiae abroganti assentiri non possum), *ἐγκ. εἰς Ἠλείους* (Arist. Rhet. III 14, 1416a 2), Caucali Hercules (Athen. X 412 B), Zoili Polyphemus (schol. Plat. Hipp. 229 D), Alcidamantis Nais, Cephali Lagis (Athen. XIII 592 C); cf. Br. Keil, anal. Isocr. p. 132. — Ante Euagoram igitur revera mythicae plerumque personae laudantur vel meretrices, nullus vir; neque enim Alcibiadis vel Cyri laudationes, cum haud ipsae per se stent, huc pertinent. Equidem Isocrati crediderim: *πρῶτος ἀνδρὸς ἀρετὴν διὰ λόγων ἐνεκωμίασεν.*

Sed etiam illa vox *ἀρετή* non sine causa videtur posita esse. Gorgias in extrema Helenae laudatione dicit: *ʽἙλένης μὲν ἐγκώμιον, ἐμὸν δὲ παίγνιον*; quod Isocrates non potest dicere. Artem scilicet et ipse hoc Euagorae encomio ostendere vult, neque vero in hac ostendenda summa encomii posita est. Haec potius voce *ἀρετή* significatur, qua relegamur ad § 4: *ὁ δὲ λόγος εἰ καλῶς διέλθοι τὰς ἐκείνου πράξεις, ἀείμνηστον ἂν τὴν ἀρετὴν τὴν Εὐαγόρου παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις ποιήσειεν.* Non ars auctoris ut ostentetur, encomium conscribitur, i. e. Euagorae laudatio non paegnium est, sed hoc encomio primum proprio quodam libello certo consilio hominis cuiusdam indoles et natura et virtus regia laudando explicantur. Hac in re nihil fere interest non tam ipsius Euagorae personam

describi quam perfecti regis speciem. Encomium scilicet iam ante Euagoram inventum erat; nam Isocrates, ut erat ingenii ad formam potissimum inclinantis, vix aliud novasse putandus est nisi formam encomii; exstabant vero iam dudum quasi germina et initia encomii, sed Isocrates haec omnia comprehendens et a paegnii forma encomium solvens proprium quoddam encomii specimen conformavit, quod omnes qui sunt post eum scriptores encomiastici respiciunt et imitantur. Et hac lege summo iure potest dici Isocrates *ἐγκώμιον* ut *εἶδος* prosae orationis invenisse et conformasse. Confirmatur igitur, quod Leo affirmavit.

Euagoras primum *ἐγκώμιον μετὰ σπουδῆς* est, quod ipsum per se stat: his rebus et a mythicis laudationibus et ab Alcibiadis et Cyri encomiis secernitur; eisdem fere rebus illud etiam ab Hippolochi encomio separari puto censendum esse, simodo recte hoc a Wilamowitzio prosae orationi tribuitur. Nihilominus relinquitur, ut perscrutemur, quae sit origo encomiorum prosae orationis, praesertim cum ipse Isocrates in prooemio illo ad mythica encomia et ad poesin spectet. Iam varias has quaestiones paululum explicemus.

Ac primum quidem pauca de ipsa voce *ἐγκωμίου* proferamus. Hanc enim vocem, quamquam carminum generis memoriam movet, tamen non necesse est concludere inde ad prosae orationis scripta translatam esse; nihil enim aliud est nisi laudatio, ita ut Plato etiam versus Homeri (Od. I 178 sq.) nominare potuerit *ἐγκώμιον εἰς Μίνων διὰ βραχέων εἰρημένον* (de lege 319 B) et Protagoram inducere liberorum educationis hoc praeceptum dantem (Protag. 326 A): *ἀναγιγνώσκειν ποιητῶν τῶν ἀγαθῶν ποιήματα καὶ ἐκμανθάνειν ἀναγκάζειν, ἐν οἷς πολλαὶ μὲν νουθετήσεις ἔνεισιν, πολλαὶ δὲ διέξοδοι καὶ ἔπαινοι καὶ ἐγκώμια παλαιῶν ἀνδρῶν ἀγαθῶν* . . . et haec „encomia“ etiam apud Homerum inveniuntur. Adversantur sane sophistae poetis neque tamen *ἐγκωμιάζοντες* spectant *ἐγκώμιον* poeticum proprie sic dictum, sed omnino laudationes poetarum; cf. Plat. Conv. 177 A sq.: *Φαῖδρος . . . ἑκάστοτε πρός με ἀγανακτῶν λέγει Οὐ δεινόν, φησίν . . . ἄλλοις μέν τισι θεῶν ὕμνους καὶ παιῶνας εἶναι ὑπὸ ποιητῶν πεποιημένους, τῷ δὲ Ἔρωτι . . . μηδὲ ἕνα πώποτε τοσούτων γεγονότων ποιητῶν πεποιηκέναι μηδὲν ἐγκώμιον · εἰ δὲ βούλει αὖ σκέψασθαι τοὺς χρηστοὺς σοφιστάς, Ἡρακλέους μὲν καὶ ἄλλων ἐπαίνους καταλογάδην συγγράφειν, ὥσπερ ὁ βέλτιστος Πρόδικος* . . . Etiam hinc elucet haud propriam quandam vim inesse voci *ἐγκώμιον*. Et profecto ipsi encomio poetico annecti demum poterat prosae orationis encomium, si ad aequales referebatur; sed de his infra.

Notio igitur *ἐγκωμίου* nondum certis finibus ab initio circumscribitur, id quod posteriore aetate fit; premitur potius ars lau-

dandi, *τὸ ἐγκωμιάζειν,* cf. in primis orationes amatorias convivarum. Laudari vero possunt varie res admodum variae. Huc pertinent et encomia paradoxa et adoxa et mythica; fabulae in primis illa aetate a sophisticis rhetoribus videntur tractata esse, ut certarent cum poetis, quorum ipsa provincia fabula erat. Si vero nonnisi artem laudandi spectas, ipsae laudationes variae exsistunt: narratio enim illa Prodici, „Hercules in bivio“, longe alio sensu est „*ἐγκώμιον*“ atque Helena Gorgiae. Nam illic Hercules videtur laudatus esse, quia virtutis potius viam inierat quam voluptatis, hic ipsa persona describitur et laudatur. Et cum haec ipsa ratio laudandi *ἐγκωμίων* posterioris aetatis, quae sic dicuntur, propria sit, vice versa ab hac ratione Gorgiae in primis origo encomiorum prosae orationis ducenda est, i. e. a ratione Gorgiae „singularum rerum laudes et vituperationes conscribendi“, id quod Aristoteles testatur apud Ciceronem (Brut. 47). Hae Gorgiae ratio et ars laudandi ut in Platonis convivio Agathonis Amoris encomio ceteras superat orationes, sic etiam postea auctore Isocrate plane vicit.

Sane quae fuerit huius encomii cum poesi necessitudo, non iam potest accurate discerni. A primo conici potest certamen initio fuisse rhetoribus omnino cum poetis: materia, i. e. fabula, eadem erat, certabant ratione tractandi et forma (cf. etiam Euag. 8—11). Sed etiam cum ipso poetico encomio cogitanda potest necessitudo, velut in Gorgiae encomio *εἰς Ἠλείους,* de quo certum quicquam sane non constat: mythica exempla scilicet et laudes maiorum inserta fuisse putanda sunt, id quod encomiorum poeticorum maxime proprium fuisse supra ostendimus.

Quae necessitudo etiam verisimilior fit, si aequalium laudationes spectamus. Hae sane cum ad homines modo mortuos initio plerumque pertineant, velut Alcibiadis, Cyri, Euagorae, Agesilai, Timothei, Mausoli (Gell. X 18; Leo p. 93 not. 2) laudationes, ad *λόγον ἐπιτάφιον* et *θρήνους* potius referamus necesse est (cf. Schmid, zur Gesch. des griech. Dithyr., Tüb. Universitätsschrftn. 1901, 16 sq.; Leo p. 87 sq.; E. Goßmann, quaest. ad Graec. orat. funebr. formam pertinentes, diss. Ien. 1908, p. 16): hanc necessitudinem etsi deficiente materia conicere tantum, non perquirere possumus, tamen non minus re vera fuisse putanda est quam illa, quam mox tractabo, quae est inter *ἐγκώμιον* poeticum et prosae orationis laudationes; cf. Euag. 11: *ἀποπειρατέον τῶν λόγων ἐστίν, εἰ καὶ τοῦτο δυνήσονται τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας εὐλογεῖν μηδὲν χεῖρον τῶν ἐν ταῖς ᾠδαῖς καὶ τοῖς μέτροις ἐγκωμιαζόντων*, ubi in „*ᾠδαῖς*“ et *θρῆνοι* et *ἐγκώμια* et quae praeterea huc referre vis carmina videntur latere. Expressis sane verbis haec necessitudo nusquam significatur; nam etiam Xenophontis verba (Ages. X 3): *ἀλλὰ γὰρ μὴ ὅτι τετελευτηκὼς*

ἐπαινεῖται τούτου ἕνεκα θρῆνόν τις τοῦτον τὸν λόγον νομισάτω . . . ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἐγκώμιον nonnisi leviter vim vocum spectat. Sed exstat adhuc encomium prosae orationis, quod aperte encomii poetici, quin etiam ipsius epinicii, ut ita dicam, encomii memoriam movet: Alcibiadis laudatio; cf. quae supra p. 43 de hoc encomio dixi. Hanc laudationem maxime et Euagoram et Agesilaum (quem mox accuratius tractabo) spectans conspectum *τόπων*, qui sequitur, propono: quae similitudo cum talis sit inter encomium epinicium et encomium prosae orationis, qualis putanda est fuisse inter hoc et encomium poeticum non epinicium, quod, quamvis simile epiniciis fuerit, tamen magis ipsam indolem eius, qui praedicaretur, eminentem reddidisse cogitari potest. — Sed iam proponam conspectum.

Ad genealogiae *τόπον* conferas Euag. 12 sqq., de big. 25 sqq., Agesil. I 1 sq. cum Pind. Ol. VI 24 sqq., etiam 77—80, VII 20 sqq., IX 33 sqq., alios locos plurimos. Tum comparemus, quae de corporis virtutibus dicunt et poeta et scriptor: velut *εἴδους* (Ol. VIII 19, IX 94, X 203 sq., Nem. III 19 sq.; cf. etiam Ol. IX 65, XIV 6 etc. — Euag. 22, 23 exit.; — Bacch. VIII 30 sqq. quoque huc pertinet) vel *ῥώμης* (Nem. I 26, Ol. VII 29, IX 111, P. V 113, I. IV (V) 61; Bacch. XII (XIII) 75. — Euag. 22); etiam animi bona una cum corporis virtutibus commemorantur (Ol. IV 26 sq., VI 17 — Euag. 22). In primis vero *ἀρετῆς* mentio fiat, utpote quae in prosae orationis encomiis summi sit momenti (Ol. I 11 sq., III 43, Nem. I 9 — Is. Panath. 72 sq.; — Ol. IV 11, etiam V 1 sq., VII 90 sq., XI 6); singulae virtutes proponuntur, velut *σωφροσύνη* (Pyth. II 65, V 109 sqq., Nem. I 27 — Euag. 22) vel *εὔνοια εἰς τὸν δῆμον* (Ol. II 102 sqq., IV 17 sq., XIII 2. Pyth. III 7 — de big. 25, 28, 41, Agesil. VIII 1 sqq. [*τὸ εὔχαρι*]) vel *σοφία* (Pyth. VI 49, Ol. XIV 6, Bacch. XII (XIII) 201 sq. — Ages. VI 4 sqq., Euag. 23) vel *εὐσέβεια* (Ol. III 41, Pyth. VI 19, Bacch. III 64 sqq. — Agesil. III) vel *ἐγκράτεια* (Pyth. VI 48 — Ages. V); hospitium vero maioris momenti est apud Pindarum (Ol. IV 16, IX 83 sq., XIII 2, Pyth. III 7, N. I 20) et Bacchylidem (V 49, XII (XIII) 224) quam in encomiis prosaicis (conferre potes Euag. 51 sqq.).

Ut apud Pindarum et Bacchylidem (Ol. II 58 sqq., Pyth. I 80, II 59 etc.; Bacch. III 91 sq.), sic etiam in Alcibiadis laudatione *πλοῦτος* et *ὄλβος* principalem locum tenent. Bonus quoque usus externarum rerum a posterioribus rhetoribus maxime pressus apud Pindarum iam invenitur (P. II 56, VI 47). *Εὐδαιμονία* significatur et apud poetam (Pyth. IX 4, 71 sqq., I 99, Bacch. V 1, 50 sqq.) et apud Isocratem (Euag. 70 et 71 sqq., de big. 33); *δόξα* quoque vel *τιμή* commemorantur (Pyth. I 99, II 59, 62, XI 45, etiam Ol. XIV 6 — de big. 31). Res publica celebratur (Ol. I 11 sqq., 107, Pyth. V

15 sqq. *βασιλεία-τυραννίς*; eadem Euag. 40; *δημοκρατία* de big. 27). Optime vero, quae sit similitudo praesertim inter Alcibiadis laudem et poetica encomia, eo illustratur, quod de big. 33 mentio fit *ἱπποτροφίας* (= Ol. I 23, IV 15, Pyth. VI 50 sq.) et victoriarum ludis reportatarum (de big. 32 sqq. — Ol. II 23 sqq., VII 80 sqq., XII 17 sq., XIII 30 sqq., Pyth. X 8, Nem. X 21 sqq., Isthm. V 60 sqq.; Bacch. IX 9—35, etiam X 15—39); cf. ad haec omnia etiam Plat. Lys. 205 C. — Liceat concludere hunc conspectum Conrottii verbis, qui primus hanc *τόπων* comparationem adumbravit (le Musée belge II 1, 165 sqq.): „. . . nous allons trouver dans l'éloge proprement dit des emprunts manifestes et des différents groupes d'idées, qui entrent d'ordinaire dans la composition de l'ode pindarique".

7. De laudatione Euagorae.

Ac primum quidem magnificentissime *οἱ πρόγονοι* (12—18) describuntur, i. e. Aeacidae,[1]) qui a Iove originem ducunt, Aeacus, Telamo, Peleus, Achilles, Aiax, postremo Teucer, qui Salamina emigrat et *τὸ γένος τὸ νῦν βασιλεῦον κατέλιπεν;* quod ita narratur, ut existimare possis heroem illum avum fere esse regis; qui intercedunt, omittuntur, fortasse quia omnino non erant. Hac genealogia memoria movetur Pindari carminum Aegineticorum, velut Nem. III (cf. Bacch. XII), ubi omnes Aeacidae inducuntur. Hac maiorum copiosa laude simul tempus illud imperii Phoenicii paululum obtegere vult scriptor. Quo iure regnum sibi petiverit Euagoras eiusque familia, haud explicatur et omnino hoc temporis spatium, quod est ante Euagoram natum, strictim (19 sq.) tractatur et statim fit transitus ad Euagoram ipsum (21). Prodigiis, quae ante *γένεσιν* evenerunt, praeteritionis formula significatis ad ipsam vitam enarrandam Isocrates progreditur. Quae secundum temporis ordinem explanatur; dispositio haec fere est:

I. *παῖς ὢν* 22 *(κάλλος, ῥώμη, σωφροσύνη);*

II. *ἀνδρὶ γενομένῳ* 23 *(. . . πάντα ταῦτα ξυνηυξήθη* . . . . et: *ἀνδρία, σοφία, δικαιοσύνη)*:

1. quomodo rerum potitus sit 24—32; comparatur cum Cyro 33—40;
2. quomodo regnaverit:
   a) quae fuerit indoles et natura eius, 41—46;
   b) quae inde orta sint facta 47—64:

---

[1]) cf. etiam, quae de Gorgiae Achillis laude adnotat Aristoteles (Rhet. III 17, 1418 a 35 sq.); Huerthius p. 7 context. et not. 1.

α) ad humanum civilemque cultum deduxit gentem 47—50;
β) cum Conone coniunctus (51—53) compluribus bellis illigatus est (54—64).

III. factorum repetitio et congregatio (65—69) et *μακαρισμός* (70—72).

Sed liceat in hac laudatione clarissima singularum quoque rerum partem exempli gratia accuratius exponere. Primum pueri laudantur *κάλλος* et *ῥώμη* et *σωφροσύνη* et harum omnium rerum *μάρτυρας* exstare adnotatur. Viro adduntur ceterae virtutes eaeque *εἰς ὑπερβολήν*. Omnia vero haec *ἐπιτηδεύματα* illustrantur eo, ut describatur, quomodo animi *τῶν βασιλευόντων* eis commoti sint: ab altera parte metuebant eum rati talem virum non posse non regnum petere, ab altera parte mores eius spectantes auxilio potius sibi eum futurum esse eos putare necesse erat: neutra spes eos fefellit. Petivit scilicet Euagoras regnum, non tamen ipse peccavit in regnantes: alius quidam tyrannum interfecit, ita tamen, ut et Euagoras fugere cogeretur. Tantum vero aberat, ut hoc casu animus eius comminueretur, ut eo magis regnum affectaret: parvam manum collegit L virorum, quos plane sibi adiunxit, appulit insulae bona fortuna fretus, sine ullo auxilio noctu urbem et regiam audacissime cepit, *καὶ τούς τ' ἐχθροὺς ἐτιμωρήσατο καὶ τοῖς φίλοις ἐβοήθησεν, ἔτι δὲ τῷ γένει τὰς τιμὰς τὰς πατρίους ἐκομίσατο, καὶ τύραννον αὐτὸν τῆς πόλεως κατέστησεν* (22—32).

Sequitur *σύγκρισις* quaedam interposita (33—39): iam his rebus gestis satis monstrari *τήν τ' ἀρετὴν τὴν Εὐαγόρου καὶ τὸ μέγεθος τῶν πεπραγμένων*; sed facta Euagorae comparando diligentius vult illustrare; quare cum Cyri factis ea comparat, quem clarissimum esse antiquorum temporum expugnatorem et omnibus summae admirationi esse constat. Singula igitur comparantur facta (37 sq.); efficitur scilicet: *οὐδεὶς οὔτε θνητὸς οὔθ' ἡμίθεος οὔτ' ἀθάνατος εὑρεθήσεται κάλλιον οὐδὲ λαμπρότερον οὐδ' εὐσεβέστερον λαβὼν ἐκείνου*, i. e. Euagorae, *τὴν βασιλείαν* (39). Et haec laus rursus eo augetur, quod tyrannis divinorum et humanorum bonorum et summum et maxime sublime et de quo maxime pugnetur, dicitur. Summum igitur laudationis gradum assecutus exclamatione orator concludit hanc partem omnia, quae effecit, comprehendente: *τὸν δὴ τὸ κάλλιστον τῶν ὄντων κάλλιστα κτησάμενον τίς ἂν ἢ ποιητὴς ἢ λόγων εὑρετὴς ἀξίως τῶν πεπραγμένων ἐπαινέσειεν.*

Tum explicat, qualis fuerit Euagoras in administrando regno suo, capite 19, quod Brunsius (122 sqq.) summopere pressit, ad cuius tractationem singula respicientis delegare me liceat. Ac primum quidem in universum ratio et institutum eius describitur (41—43):

quamvis summa regnandi facultate praeditus esset, tamen semper diu multumque secum deliberabat et considerabat nihil curans plurimorum hominum stultam consuetudinem (41). Omnia ipse curabat, etiam minima, ita ut de unoquoque cive ipse recte existimare posset. Quodcumque officium sibi ipse proposuerat, cotidie accurate exsequebatur. Et iam singulae (43—46) afferuntur eius virtutes exemplis non exhibitis et singulis enuntiatis inter se haud copulatis. Quod caput ita concluditur (46), ut testimonia huius indolis facta exstare dicantur quae sequuntur.

Haec explicanti in pauca conferre mihi liceat singula: nam ea scilicet sola afferuntur, quae Euagorae favent, satis augentur, ex omnibus partibus illustrantur, — quam rationem supra perspeximus secundum Isocratis narrationem explicantes, quomodo rerum potitus esset Euagoras. Primum exponitur, quomodo civium vitam humanitatemque excoluerit (47, 48) et ex hostibus amicos eos Graecis reddiderit (49, 50) ipse exemplum praebens; nam cum multos alios Graecos hospitio recipiebat (51), tum cum Conone summa familiaritate coniunctus est (52, 53); et coniuncti praeclare res gesserunt: Graecos enim Lacedaemoniorum principatu liberantes adiuvantibus Persarum regis ducibus magnam sibi pepererunt gloriam (54—57). Ipse vero rex Persarum Euagoram metuebat et enixe bellum parabat; nam persuadebat sibi multo graviorem adversarium esse Euagoram Cyro, qui de regno pugnavit, cum novisset et indolem virtutesque ei esse summas et fortunam ei favere; metuebat igitur, ne non de Cypro, sed de principatu bellum futurum esset (58—60). Iam hae res speciem summae superlationis prae se ferunt; sed vide reliquas: Verumtamen Euagorae res admodum prospere successit, ita ut postremo rex libenter pacem faceret neque quicquam de dominatione eius movere posset. Et hic eventus, quem minime tam prosperum fuisse constat, cum re vera bellum ita finiretur, ut regis dicioni Euagoras subiceretur, comparationibus quoque augetur: rex Persarum, qui Lacedaemoniorum principatum tribus annis conciderat, ne decem quidem annis Euagorae tyrannidi ullam partem detrahere potuit; et: Euagoras urbem cum L sociis cepit, rex ne maximo quidem cum exercitu idem perfecit (61—64).

Tum rursus a factis ad virtutem delegat, quae eo maior esse videatur, quo maiora illa sint. Et haec maxime esse explicatur bello Troiano acute comparato: *οἱ μὲν . . . μεϑ' ἁπάσης τῆς Ἑλλάδος Τροίαν μόνην εἷλον, ὁ δὲ μίαν πόλιν ἔχων πρὸς ἅπασαν τὴν Ἀσίαν ἐπολέμησεν* (65). Huic comparationi continuatae annectitur repetitio rerum gestarum (66—68); in conclusione Isocrates quasi dispositionem laudationis affert partes significans: 1. *ἡ κατάληψις τῆς βασιλείας,* 2. *ἡ*

ὅλη τῶν πραγμάτων διοίκησις, 3. *αἱ ἐπιμέλειαι καὶ αἱ παρασκευαὶ αἱ πρὸς Λακεδαιμονίους*, 4. *ὁ τελευταῖος πόλεμος*; quarum omnium rerum quae summa sit, negat se posse definire causam addens vere encomiasticam: *ἀεὶ γάρ μοι δοκεῖ μέγιστον εἶναι καὶ θαυμαστότατον, καθ' ὅτι ἂν αὐτῶν ἐπιστήσω τὴν διάνοιαν* (69). Neque tamen hic finis est laudationis. Postremo adiungitur *μακαρισμός* (70—72), quo *εὐδαιμονία* eius (71 in.) praedicatur: talibus maioribus usus est, tantis *σώματος* et *γνώμης* virtutibus, tam probe tyrannidem peperit, tam bene obtinuit, tanta gloria eius fuit, tam bene compositum erat spatium vitae, ita *εὐπαιδίαν* simul et *πολυπαιδίαν* nanctus est, ut re vera dici posset *θεὸς ἐν ἀνθρώποις* vel *δαίμων θνητός* (72). Concluditur totus libellus epilogo (73—81) rursus ad Nicoclem scripto, qui et ipse nimiis laudibus abundat.

Quae esset in universum Euagorae vis et auctoritas ad encomia explicanda atque perficienda, supra iam exposuimus; iam propria quaedam persequar. Quamvis magni habeamus Euagorae formam ut specimen encomii, tamen ipsam laudandi superlationem persaepe taedio esse oportet. Conferas iam genealogiae quasi ubertatem vel spectes, quam accurata diligentia initium tyrannidis tractetur, ut crimina a primo praecaveantur; accedit abundantia superlationum, velut §§ 40, 69; 12, 15, 17, 22, 23 al. Afferri possunt praeterea *αὐξήσεις* factorum summa arte praesertim comparationibus effectae et, id quod summum est, *μακαρισμὸς* et apotheosis (72) in conclusione laudationis exhibita. Taedet haec omnia proferre.

Verumtamen admodum dilucidum exemplum encomii est Euagoras: ab altera enim parte omnia ea hic inveniuntur, quae encomiorum propria esse iam supra priores laudationes tractantes statuimus, velut genealogia, dispositio secundum aetatis gradus effecta, superlativa virtutum vel factorum cumulatio; ab altera vero parte complures novae res proferuntur: Isocrates non modo facta (*πράξεις*) ostendit et auget, id quod praesertim in Helenae laudatione artificiosissime fecit, sed etiam illis usus magis in ipsum animum Euagorae penetrat. Huc referendum est, quod identidem facta enarrans virtutem significat, cf. 33, 65 al., vel vice versa virtutem explicans ad facta delegat, cf. 30, 46, 51. Unum locum in primis hic oportet commemorari, quem B r u n s i u s caput totius laudationis esse contendit, 41—46, ubi Isocrates explanat, qualis fuerit natura et indoles Euagorae, quomodo ipse se instituerit et formaverit. Explicat Isocrates, quibus elementis, ut ita dicam, propria cuiusque hominis natura definiatur, et fortuita removens significat, quae sit firma atque stabilis vis ingenii. Haec Euagorae descriptio, si historiae fidem spectas, parvi vel potius nullius pretii est, cum haud ipse Euagoras proponatur, sed perfectus quidam

rex fingatur, cui forte nomen Euagorae est; sed hoc omnium encomiorum illius aetatis proprium est, cf. Leo p. 316: „das von Isokrates gestaltete Enkomion ... bezweckte nur, Übereinstimmung eines Lebens und Wesens mit dem Ideale kunstmäßig darzustellen". Vituperes hanc rationem, qua natura hominis vi mutatur perfectae cuiusdam imaginis gratia et cum Socrate rectam viam laudandi esse censeas: *ἐκ [τῶν ἀληθῶν] τὰ κάλλιστα ἐκλεγομένους ὡς εὐπρεπέστατα τιθέναι* (198 D): tamen concedes illam laudationis rationem certe formam certam atque admodum aptam, qua laudes, exhibere et praecepta significare, quibus usus aliquis verbis exprimere possit, quas in homine quolibet observaverit et ingenii dotes et animi artes. Et hanc vim Euagorae recte nos tribuere confirmatur et auctoritate, qua valebat Euagoras aetate posteriore, et imitationum multitudine.

8. De Xenophontis Agesilai encomio.

Post ipsam Euagorae laudationem Xenophontis Agesilai encomium tractandum est propter necessitudinem, quam inter hoc et illam intercedere viri docti affirmaverunt. Hoc est eius argumentum.[1])

Postquam pauca de proposito in primis amplo praefatus est, primum de generis eminentia disserit (I 2 sqq.). Spartae in urbe clarissima genus honoratissimum continua dominatione regnat: ex quo prognatus est Agesilaus, qui qua virtute fuerit, testimonio est, quod Leotychidae una secum imperium petenti antepositus est; haec res enuntiato exprimitur, quod ut vere encomiasticum dignum est, quod exscribamus: *καίτοι τὸ ἐν τῇ κρατίστῃ πόλει ὑπὸ τῶν ἀρίστων κριθέντα τοῦ καλλίστου γέρως ἀξιωθῆναι ποίων ἔτι τεκμηρίων προσδεῖται τῆς γε πρὶν ἄρξαι αὐτὸν ἀρετῆς* (I 5). Sequitur narratio rerum et bellorum a rege gestorum (I 6—II 31), quae simpliciter secundum temporis ordinem fit oratione aequaliter profluente nulla scilicet re, quae vituperatione digna esset, commemorata. Describuntur igitur bella in Asia (I 6—I 33) gesta; deinde narratur revocatum in Graeciam eum regressum esse, apud Coroneam vicisse, cum Corinthiis, cum Acarnanibus pro Achaeis, cum Thebanis pugnasse, optime a Thebanis victoribus patriam urbem defendisse, in Aegypto bellasse, denique rursus rediisse (II). Ipsa narratio raro interrumpitur verbis de virtute ex rebus gestis concludenda factis, cf. I 12, 27 (in fine Persarum belli explicando), II 7, 12, 21 ex. 23

---

[1]) Encomii argumentum accurratius exponit Brunsius (p. 126—137), dispositionem strictim affert Leo (p. 90 sq.).

in., vel enuntiatis ad sequentia transitum parantibus, velut I 9: . . . *πῶς ἂν τις σαφέστερον ἐπιδείξειεν ὡς ἐστρατήγησεν ἢ εἰ αὐτὰ διηγήσαιτο ἃ ἔπραξεν* . . ., II 9: *διηγήσομαι δὲ καὶ τὴν μάχην* . . ., 27: *κἀνταῦθα οὖν ἄξια θαύματος διεπράξατο* . . . Ceterum oratio aequabiliter profluit neque encomium esse etiam hanc libelli partem ulla alia re significatur nisi eo, quod sermo praedicandi potius quam narrandi rationem praebet. Quantum haec ratio differat ab Isocratis narrandi ratione, optime elucet, si hoc primum Agesilai caput comparas cum Euagorae paragraphis 25—40 vel 47—64: illic invenis narrationem paululum augendo elatam, hic paucae res narrantur, sed ab omnibus partibus illustrantur et quasi versantur et, quam maxime potest, exornantur.

Altera pars capitibus III—IX comprehenditur. Quae longe aliam speciem prae se fert: virtus enim Agesilai describitur. Leviter tantum haec pars priori annectitur (III 1): *καὶ ταῦτα μὲν εἴρηται ὅσα τῶν ἐκείνου ἔργων μετὰ πλείστων μαρτύρων ἐπράχθη. τὰ γὰρ τοιαῦτα οὐ τεκμηρίων προσδεῖται, ἀλλ' ἀναμνῆσαι μόνον ἀρκεῖ καὶ εὐθὺς πιστεύεται. νῦν δὲ τὴν ἐν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ ἀρετὴν πειράσομαι δηλοῦν, δι' ἣν ταῦτα ἔπραττε καὶ πάντων τῶν καλῶν ἤρα καὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἐξεδίωκεν.* Quod dicit *δι' ἣν ταῦτα ἔπραττεν,* re vera, cum singulas tractat virtutes, rerum gestarum supra narratarum raro revocatur memoria; plerumque de novis virtutibus docemur et res gestae usque eo ignotae afferuntur, quibus id quod proponitur probetur. Quamquam non separandae sunt prima et altera partes, cum ambabus demum Agesilai vitam indolemque cogitatione fingere possimus. Brunsius (p. 127 sq.) hic quoque Euagoram comparat; equidem nego ibi omnino facta certis (hoc summi momenti est) virtutibus subiungi. Cyri potius laudatio conferri potest, in qua item facta certis capitibus subsumuntur quaeque ipsa quoque perspicua demum fit rebus a Cyro gestis Anab. I 1—8 expositis, ut Agesilai natura ingeniumque rebus bello gestis, i. e. quasi externa vitae specie, enarratis. Haec altera Agesilai pars a Brunsio (p. 128—131) tam accurate tractata est, ut singula exponere supersedeam; dispositionem igitur tantum proferam:

1. pietas — *θεῖα οὕτως ἐσέβετο* . . . III 2;
2. *ἡ εἰς χρήματα δικαιοσύνη* IV 1;
3. temperantia — *ἡδοναὶ πολλῶν κρατοῦσιν ἀνθρώπων, ποίας οἶδέ τις Ἀγησίλαον ἡττηθέντα* V 1;
4. *ἀνδρεία* VI 1;
5. *σοφία* VI 4;
6. amor patriae — *ὡς φιλόπολις ἦν* VII 1;
7. *τὸ εὔχαρι* VIII 1 (comparatur *τρόπος* eius cum *τοῦ Πέρσου ἀλαζονείᾳ* IX 1).

His omnibus in explicationibus vix quicquam invenitur, quo Isocratis laudandi rationis memoria renovetur; contra gaudemus animadvertentes, quam pie, quanto animi calore, quam accommodate ad vitae veritatem Xenophon Agesilai, quem colit atque admiratur, vitam et mores describendo effingat, cum Isocrates, quamvis magna arte praeditus, tamen molestus flumine et cumulatione verborum et locutionum laudibus abundantium ab ipso vero vitae cursu depingendo longe absit. Idem dicendum est de conclusione Agesilai, i. e. de capitibus X et XI, quae quasi tertiam partem totius libelli efficiunt. Neque vero dubium est, quin Xenophon, si et res his capitibus exhibitas et formam spectas, Euagoram imitatus sit. Velut quae Xenophon c. X proponit dicens Agesilai vitam moribus formandis exemplum esse posse (1 sqq.) et *μακαρισμὸν* (cf. 4: *μακαρίζοιτο*) Euagorae cum §§ 5 sqq. vel 73 sqq. et §§ 71 sq. compares. Quin etiam repetitionem capitum (c. XI 1: *βούλομαι δὲ καὶ ἐν κεφαλαίοις ἐπανελθεῖν τὴν ἀρετὴν αὐτοῦ, ὡς ἂν ὁ ἔπαινος εὐμνημονεστέρως ἔχῃ*) recta pendere ab Euagorae capite 19. Brunsius (p. 133 sqq.) docuit; cf. etiam Kaibel, Herm. 25, 596. Sed liceat etiam hic singula perquirentem delegare ad accuratam illius explicationem; equidem strictim exponam, quid de encomiorum historia ex Agesilai laudatione concludi possit.

Xenophontis quae adhuc exstant encomia Cyri et Agesilai propriam quandam speciem praebent. Singulae quidem res aliorum encomiorum memoriam redintegrant, velut dispositio biographica, capitum significatio adiectivis superlativis effecta Cyri laudationis, virtutum genera Agesilai laudatione prolata; quin etiam ipsa repetitio et congregatio encomii ex Euagora, quamvis bene imitando, sumpta est. Sed ipsa ratio partes congerendi tota Xenophontea est. Quod praesertim in Agesilao animadverti potest; licet tripartita divisio sit haud aequalis et congruens — re vera hac ratione haud apte mihi videtur descripta esse persona cuiusdam hominis —: illud profecto non potest negari dignam esse hanc Xenophontis rationem, ad quam animos advertamus, cum conatus sit a factis quasi externis, quae nota sunt, progredi ad ipsius viri indolem et mores investigandos, quibus illa quoque demum recte intellegantur. Hanc propriam Agesilai vim eo magis velim respicias, quod Leo mihi videtur nimis premere Agesilaum ab Euagora pendere contendens (p. 92): „die Abhängigkeit des Agesilaus vom Euagoras liegt unverkennbar vor, aber auch die Weiterbildung; denn die Beschreibung der Tugenden des Helden als ein eigner Hauptteil, von den Taten gelöst, ist ein eigner Schritt, den Xenophon über die von Isokrates als Vorbild hingestellte Form hinausgetan hat". Equidem censeo solam tertiam Agesilai partem ad

Euagorae exemplum referendam esse; nam primam ab Isocratis narratione valde differre iam supra statuimus, et alterius partis exempla sunt Agathonis *ἐγκώμιον Ἔρωτος* et Isocratis *ἐγκώμιον Θησέως* ante Agesilaum composita. Non quod Xenophon trans Euagorae exemplum quasi progressus esse videtur virtutes a factis separans et describens, novum esse existimaverim, sed propriam totius encomii conformationem. Quo factum est, ut typis, quos infra (p. 75) proferam, neque Cyri neque Agesilai laudationes possent subiungi; neque tamen propterea typi illi falsi esse putandi sunt (nam typos raro usu meros exhiberi constat), sed eo clarius inveniendi quaedam proprietas Xenophontis patefit.

9. De reliquis Isocratis aliorumque encomiis, quae quidem exstent vel restitui possint.

Reliquorum Isocratis encomiorum primum Nicoclis laudationis mentio fiat (3, 29—47), quam Leo omnino omittit; ipse se Nicocles laudat et proponit (§ 29): *οἶμαι . . . ἐγὼ πάντας ἂν ὁμολογῆσαι πλείστου τῶν ἀρετῶν ἀξίας εἶναι τήν τε σωφροσύνην καὶ τὴν δικαιοσύνην . . . . εἰ δή τινες τῶν προγεγενημένων ἐπὶ ταύταις ταῖς ἀρεταῖς ηὐδοκίμησαν, ἡγοῦμαι κἀμοὶ προσήκειν τῆς αὐτῆς δόξης ἐκείνοις τυγχάνειν,* et subiciuntur hae virtutes dispositioni: *δικαιοσύνη* 31—35, *σωφροσύνη* 36—42, et factis illustrantur. Quae facta plerumque regnantis sunt; iustus erat, quod, cum urbs pecunia careret, inde non lucratus est, quod etiam erga ceteros insulae incolas ita se gerebat, ut numquam suae utilitatis memor esset, quod Persarum regi homini ambiguae fidei parato animo serviebat, aliis. *Σωφροσύνην* describens id in primis gloriatur, quod voluptatibus libidinosis se abstinuit et quod liberos *εὐγενείας* ipsius participes reddidit, i. e. omnibus facultatem dedit *τὴν αὐτῶν φύσιν καὶ πρὸς πατρὸς καὶ πρὸς μητρὸς ἀνενεγκεῖν τῶν μὲν θνητῶν εἰς Εὐαγόραν τὸν πατέρα, τῶν δ' ἡμιθέων εἰς Αἰακίδας, τῶν δὲ θεῶν εἰς Δία, καὶ μηδένα τῶν ἐξ ἐμοῦ γενομένων ἀποστερηθῆναι ταύτης τῆς εὐγενείας* (42 qua quasi *γενεαλογία* Nicoclis exhibetur). Epilogo (43—47) denuo virtutes illas praedicat certisque occasionibus definit, quibus omnibus suae virtutis testimonia reliquerit; quod etiam cives posse testari. Exit vero (46) encomium in civium adhortationem: *δεῖ ποιεῖν ὑμᾶς ἑκόντας καὶ προθύμως, ἅττ' ἂν ἐγὼ συμβουλεύσω καὶ προστάξω.* — Sed ne hac quidem laudatione Isocratem Nicoclem re vera describere, sed perfectum regem imitando effingere in aperto est.

Sequitur secundum temporis ordinem encomium quoddam Archidami epistula IX 3 sqq. anno 356. adumbratum. Maiorem huius

loci partem (3. et 4.) genealogia explet, qua virtus maiorum et patris extollitur. Qualis reliqui encomii sit progressus, non est dilucidum; secundum vitae cursum fortasse explicationem fieri volebat Isocrates; quod significari videtur vocibus *ἐξαριθμῆσαι μόνον* (5) et eo, quod genealogiae annectens simpliciter narrando pergit scriptor: . . . *καὶ τὴν μάχην τὴν ἐν τῇ πόλει γενομένην, ἧς ἡγεμὼν σὺ καταστὰς καὶ μετ' ὀλίγων πρὸς πολλοὺς κινδυνεύσας καὶ πάντων διενεγκὼν αἴτιος ἐγένου, τῇ πόλει τῆς σωτηρίας* (4). Etiam in hoc encomio adumbrato tantum exstat locutio encomiastica: . . . *ἐκ τῶν τοιούτων κινδύνων σῷσαι τὴν πατρίδα, μὴ τὴν τυχοῦσαν, ἀλλὰ τὴν τοσοῦτον ἐπ' ἀρετῇ διενεγκοῦσαν* (5); cf. 10, 21.

Peculiaris rursus est laudatio Timothei orationi *περὶ ἀντιδόσεως* (353; Blass AB II² 308) inserta (107—128), quam ipse Isocrates *ἔπαινον* (129) esse dicit. Cuius exordium (101—106) ad lectorem vel literatos iudices est (104: *χρὴ δὲ τὸν ὑπὲρ ἐκείνου λόγον οὐκ ἀλλότριον εἶναι νομίζειν τοῖς ἐνεστῶσι πράγμασιν οὐδ' ἐμὲ λέγειν ἔξω τῆς γραφῆς* etc. etc.). Postremo (106; non 117. demum, quod Leo dicit) propositum pronuntiatur: (*ἦν ἐπιδειχθῇ*) *καὶ πολίτης ὢν ἀγαθὸς καὶ στρατηγὸς τοιοῦτος οἷος οὐδεὶς ἄλλος ὧν ἡμεῖς ἴσμεν* . . . Ac primum quidem afferuntur res bello gestae: *τοσαύτας ᾕρηκε πόλεις κατὰ κράτος, ὅσας οὐδεὶς πώποτε τῶν ἐστρατηγηκότων* (107) et accurate fere tractantur (quam rationem Isocrates ipse dicit: *ἐξαριθμῆσαι τὰς πράξεις* 141) singulae res gestae (107—113). Deinde levioribus aliorum factis comparatis Timothei natura significatur, in qua illae positae sint; hae vero facultates uno iudicio comprehenduntur: *αὐτὸς — περὶ ταῦτα δεινὸς ἦν περὶ ἅπερ χρὴ φρόνιμον εἶναι τὸν στρατηγὸν τὸν ἀγαθόν* (117), quod ipsum in quattuor partes divisum accuratius explicatur (*πρῶτον* 117, *δεύτερον* 119, *ἔτι πρὸς τούτοις* 120, *ἐπὶ τοῖς ἐχομένοις* 121). Quae capita haec sunt: 1. *πρὸς τίνας πολεμητέον καὶ τίνας συμμάχους ποιητέον* 117; 2. *στρατόπεδον συναγαγεῖν ἁρμόττον τῷ πολέμῳ τῷ παρόντι* 119; 3. *ἀπορίας ἐνεγκεῖν στρατοπέδου καὶ πενίας καὶ πάλιν εὐπορίας εὑρεῖν* 120; huc usque singulae partes paucis absolvuntur et ad facta plerumque delegatur (velut 118: *ῥᾴδιον ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων γνῶναι*, 119: *αἱ πράξεις αὐταὶ δεδηλώκασιν*), non tamen ad facta iam enarrata, id quod Leo vult (p. 92); neque enim *πράξεις* illae, quae partibus 1. et 2. argumento esse dicuntur, in enumeratione factorum (107—113) iam commemoratae sunt, immo contra priore loco (118: *ῥᾴδιον κτἑ.*) voce *γὰρ* testimonium demum adnectitur, et loco posteriore (119) forma perfecti (*δεδηλώκασιν*) res omnibus notae, non iam explicandae significantur. Uberior vero est pars quarta, qua exponitur, (4) quomodo erga hostium oppida se gesserit (121—126). Denique tota laudatio comprehenditur (*κεφάλαιον δὲ πάντων τούτων* 127) et ex-

pressis verbis postremo pronuntiatur, quid effectum sit: *καίτοι χρὴ τὸν στρατηγὸν ἄριστον νομίζειν οὐκ . . . ἀλλ' ὅστις ἐπὶ πολλῶν καὶ παντοδαπῶν καὶ δυσκόλων πραγμάτων ὀρθῶς πράττων καὶ νοῦν ἐχόντως διατετέληκεν, ὅπερ Τιμοθέῳ συμβέβηκεν* (128).

In Philippo (5, 109 sq.; anni 346, cf. Blass AB II² 314) Herculis encomium paucis tangitur; Herculis laudatores dicit hucusque fortitudinem solam praedicasse et *ἆθλα* enumerasse; ipsum se alia posse laudare, velut *φρόνησιν, φιλοτιμίαν, δικαιοσύνην* (110) — sed propter senectutem conatu sese desistere.

Diligentius contra explicatur Agamemnonis encomium Panathenaico (12, 70—87) insertum; admodum simile est Timothei laudationi et satis sit hoc loco ad Leonis p. 93 n. 1 delegare, ubi dispositio eius exhibetur.

Ad finem pervenimus Isocratis encomia tractantes. Sed priusquam id quod effecimus comprehendamus, aptum mihi videtur esse ea quoque encomia perscrutari, quae Isocratis aetate composita sunt aut quibus necessitudo quaedam intercedit cum eius laudandi ratione.

Encomio Cyri Xenophon primus laudatione, ut mores et ingenium describeret, in historia uti conatus est; etsi haec forma Xenophontis copiosior erat, quam ut permaneret, tamen a discipulis Isocrateis ipsum encomium historiae magis magisque insertum est. Ad hanc rem cf. quae de Theopompo et Ephoro tradunt (cf. Lippelt, quaest. biogr. p. 35 sq.; Rohde, RhM. 48, 117; Polyb. VIII 11 sqq.; Theonis prog. VIII 29 = Rh. Gr. II p. 110, ubi Theopompi *ἐγκώμιον Φιλίππου* commemoratur). Horum Ephori epilogorum paucae adhuc exstant reliquiae a Diodoro historiis inclusae.

Qui epilogi cum sint vere encomiastici, prope toti sunt similes laudationibus Isocrateis, cf. quae de locis laudatoriis disseruit Volquardsen (Untersuch. über die Quellen bei Diodor etc. p. 59 sq.). Haec encomia plerumque aut a Diodoro in angustum coacta sunt aut ab Ephoro ipso brevi praecisa, velut laudationes eorum, qui apud Thermopylas ceciderunt (XI 11), Themistoclis (XI 58, 4—59, 3). Paulo vero dilucidior est laudatio Pelopidae (XV 81), cuius res gestae secundum temporis seriem enarrantur. Denique longe uberrima est Epaminondae laudatio (XV 39 et 88). Quod videam, primum virtus describitur: *ἀνδρεία, στρατηγικὴ σύνεσις, πᾶσα παιδεία* (XV 39, 2); deinde res gestae commemorantur: . . . *εἰκότως καὶ τὰς πράξεις ἐπιφανεστάτας συνετέλεσεν*; postremo iterum virtutis mentio fit: *καὶ τὰ τηλικαῦτα παραδόξως διεπράξατο διὰ τὴν ἀγχίνοιαν καὶ τὴν ἐκ παιδείας αὐτῷ περιγεγενημένην ἀρετήν*. Epilogo rursus *ἀρετὴ* spectatur (XV 88): *δοκεῖ μοι μὴ μόνον τοὺς καθ' ἑαυτὸν ὑπερβάλλειν τῇ στρατηγικῇ συνέσει καὶ ἐμπειρίᾳ, πρὸς δὲ τούτοις ἐπι-*

εικείᾳ τε καὶ μεγαλοψυχίᾳ, sed etiam priorum temporum homines. *Σύγκρισις* igitur in his quoque epilogis usurpatur ratione encomiorum maxime propria, quae fine monstratur: *ἀλλ' ὅμως εἴ τις συγκρίνει τούτων ἀρετὰς τῇ Ἐπαμεινώνδου στρατηγίᾳ καὶ δόξῃ, πολὺ ἂν προέχουσαν εὕροι τὴν περὶ τὸν Ἐπαμεινώνδαν ἀρετὴν — παρὰ μὲν γὰρ ἑκάστῳ τῶν ἄλλων ἓν ἂν εὕροι προτέρημα τῆς δόξης, παρὰ δὲ τούτῳ πάσας τὰς ἀρετὰς ἠθροισμένας* (cf. Is. Panath. 72 sq.). Huic enuntiato haec enumeratio postremo virtutum et corporis et animi annectitur: *ῥώμη σώματος, δεινότης λόγου, ψυχῆς λαμπρότης, μισαργυρία, ἐπιείκεια, ἀνδρεία, στρατηγικὴ σύνεσις* . . .

Ad extremum mentio fiat libelli cuiusdam amatorii Demostheni falso tributi. Quarto hunc a. Chr. n. saeculo esse compositum Wendlandius (AvL 71 sqq.) inde collegit, quod artem dicendi tum usitatam prae se fert et plurimas Isocratis sententias continet. Media pars huius amatorii *ἔπαινος* est (10—32). Cuius secundum dispositionem antea (8) allatam laudanda sunt Epicratis pueri *κάλλος* (quod bonum *διὰ τύχην* habeat) et complura bona *δι' ἑαυτὸν* comparata: *σωφροσύνη, ἀνδρία, χάρις*. Haec vero bipartitio nota est ex Isocratis scriptis (11, 45; 3, 47; 12, 32; cf. Wendland p. 74 n. 7.) et eadem est atque ea, quam Anaximenes Lampsacenus exhibet (*τὰ ἔξω τῆς ἀρετῆς ἀγαθὰ* et *τὰ ἐν αὐτῇ τῇ ἀρετῇ ὄντα ἀγαθά* p. 80, 20 sqq. ed. Spengel-Hammer; vide etiam quae infra de hac re disseram). Singula quaedam laudationum propria pervestigantem ad Wendlandii dissertationem relegare mihi liceat.

Sed hic iam subsistamus et singulis, quae exstant quaeque restitui possunt, laudationibus diligenter perlustratis disseramus, quid inde efficiatur ad encomiorum ipsam historiam explanandam.

10. Quid ex his omnibus efficiatur.

Iam supra (p. 58 sqq.) exposui, quae sit origo encomiorum prosae orationis et quae ratio intercedat inter illa et cum poesin in universum tum encomia poetica. Proinde iam externam formam consideremus.

Prima encomia speciminibus illis artis rhetoricae adnumeranda sunt, quae *παίγνια* nominari supra (p. 46 sq.) explicavi. Paegnia ergo sunt: Helena Gorgiae (§ 21) et, quae ei respondere videtur, Isocratis Helena (cf. etiam 7) et item Thesei laudatio huic inserta; idem de Busiride dicendum (cf. 9), aut certe paegniis similis est, cum Isocrates libellum illum *ἐπίδειξιν* esse negare videatur (44); certo tamen paegnio (Polycratis) respondet. Ambigua vero est condicio *λόγων ἐρωτικῶν* (cf. supra p. 55); sed Agathonis orationem

encomiis posterioris aetatis admodum similem paegniis proximam esse ipse Agatho dicit (197 E). Contendi igitur potest: prosae orationis encomiorum initia paegniis contineri.

His sane non multum lucramur. Nam quid est *παίγνιον*? Eius vis definitionibus supra allatis non plane describitur. Ab initio enim opponuntur inter se (cf. Busir. 9) *παίγνια* et *σπουδαῖοι λόγοι*. *Παίγνια* nominantur omnes orationes, quae non generibus iudiciali vel deliberativo tribui poterant, et horum ipsorum generum eae, quae non ad usum verum pertinebant, velut Polycratis Busiridis defensio (cf. Bus. 9) vel Gorgiae Palamedes. Posteriore vero tempore paegniorum condicio paulo alia videtur esse; cf. Arist. Rhet. I 9, 1366 b 28 sqq.: hic intra *γένος ἐπιδεικτικὸν* secernuntur *παίγνια* (= *χωρὶς σπουδῆς*) et *σπουδαῖοι λόγοι* (= *μετὰ σπουδῆς*). Quomodo hoc explanandum est? Equidem ex epidictici potissimum generis condicione hanc difficultatem velim expedire. *Ἐπιδεικτικὸν γένος* dicitur ab *ἐπιδεικνύναι τὴν δύναμιν*, sc. *τοῦ λέγειν* (cf. Ar. Rh. I 3, 1358 b 6, quem locum O. Krausius (neue Stud. zu Arist. 1907) haud recte interpretatur, cum *ἐπιδεικτικὸν γένος* dicat nomen ducere ab *ἐπιδεικνύναι τὴν δύναμιν* sc. *τῆς ἀρετῆς καὶ κακίας*). Vox *θεωρός* (1358 b 6) statim *ἀγώνων* recordationem movet, quibus ars rhetorum ostenditur; cf. etiam Anax. p. 80 et infra p. 78 sq. *Ἐπιδείξεις* sane etiam illa *παίγνια* iudicialia erant; sed cum genus epidicticum ipsum per se stans conderetur, illa potius generi iudiciali subsumi necesse erat, ita ut generi epidictico nihil nisi paegnia laudatoria et vituperantia subiungerentur. Sed exstabant etiam laudationes *μετὰ σπουδῆς*: ad quae etsi non ita quadrabat vis vocis *ἐπιδεικτικός*, cum haud ostentandae artis causa componerentur, tamen generi epidictico subiciebantur. Haec encomia *μετὰ σπουδῆς* exsistebant et epitaphiorum vi in dies crescente formaque exculta et Euagorae laudatione edita; quae cum exemplum sit libelli ipsum per se stantis et eo potissimum scripti, ut *ἀρετὴ* clari hominis modo mortui ostendatur, paegniis non iam potest subiungi. Sic factum est, ut generis epidictici vis paulum mutaretur. Quod optime confirmari potest ex Aristotelis arte rhetorica: ab altera enim parte generis illud nomen definit secundum originem vocis et sententiam eius, qui hoc genus condidit (nam Aristotelem, qui ab eis, quae usitata erant, proficiscens suam sententiam solet explicare, genus epidicticum invenisse cum Zycha, Ztschr. f. d. österr. Gymn. 1908, 2 p. 117, vix crediderim); ab altera parte, ut erat haud amans *ἐπιδείξεως*, etsi initio capitis 9. discrevit inter *παίγνια* et *σπουδαίους λόγους*, tamen in ipso capite illorum nusquam mentio fit neque quicquam spectatur nisi laus virtutis, ita ut ostentatio plane omittatur; cf. definitionem *ἐπαίνου*, 1367 b 27. Quare quamvis haud

recta sit illa Krausii interpretatio vocis *ἐπιδεικτικός*, tamen illud mihi videtur recte animadvertisse ipsum genus epidicticum, si Aristotelem audis, ad *ἀρετῆς* potius *δύναμιν* pertinere quam ad *δύναμιν τοῦ λέγειν*. Huc optime quadrat, quod *σπουδαίῳ λόγῳ* illi Isocratis, Euagoram dico, proponitur: *ἀνδρὸς ἀρετὴν διὰ λόγων ἐγκωμιάζειν*. Si hoc tenes, omnia encomia, quae ante Euagoram scripta sunt, *παίγνια* nominare potes. Sed hoc discrimen nonnisi ad externam formam encomiorum pertinet; ipsa ratio laudandi iam paegniis encomiasticis exculta est; hoc puto causae esse, quod etiam Aristoteles eis ut exemplis laudandi utitur, cf. Rhet. III 17, 1418 a 35 sqq. (Gorg. Achill.) et III 14, 1414 b 29 sqq. (Isocr. Hel.). —

Huius laudandi rationis praeter certas augendi locutiones, quas singula encomia tractans iam hic et illic tetigi quasque infra p. 88 sqq. strictim denuo significabo, illud potissimum censeo notatu dignum esse, quod certae stabilesque encomiorum dispositiones et formae excultae sunt. Hos typos, ut ita dicam, non ubique scriptores accurate persequuntur, sed confundunt vel continuant; verumtamen contendo in universum eis ut normis et regulis nos uti et posse et oportere eo magis, cum paulo post hanc Isocrateam aetatem admodum subtiliter inter eos discretum esse a rhetoribus infra apertum fiat et hos typos iam ea aetate, quam nunc tractamus, partim certe adumbratas, partim dilucide explicatas esse ex eis, quae sequuntur, sperem patefactum iri.

Alterius formae encomii vitae cursus eius, qui celebratur, subiectus est; secundum temporis igitur ordinem fit explicatio; quare cum in narrando posita sit ratio huius laudationum speciei, narrativum encomium eam volo nominari. Sunt etiam signa quaedam; in exponendo enim curriculo aetatum gradus premuntur, cf. Hel. 18: *οὔπω μὲν ἀκμάζουσα*, 39: *πρὸς τὸ μνηστεύεσθαι λαβούσης ἡλικίαν*; de big. 28: *κατελείφθη ὀρφανὸς . . . ἐπετροπεύθη . . .*, 29: *δοκιμασθείς . . .*, 31: *πρεσβύτερος*; Cyr. 2: *παῖς ὤν . . .*, 6: *ἡλικία . . .*, 7: *σατράπης . . .*; Euag. 22: *παῖς ὤν . . .*, 23: *ἀνδρὶ γενομένῳ . . .*; neque tamen in omnibus encomiis narrativis haec aetatis graduum fit significatio. Encomio igitur narrativo facta secundum temporis ordinem enarrantur, ut inde indoles et natura et virtus eius, qui laudatur, eluceat.

Alterius vero speciei maxime propria est ratio describendi; describitur igitur virtus hominis et facta partibus eius subsumuntur. Non sane semper hoc encomium descriptivum merum exhibetur. Mera dici possunt encomia Thesei, Nicoclis, Herculis et laudatio amatorio [Demosthenis] inserta. Cetera plerumque variantur. In Amoris encomio Agathonis sub capite *οἷός ἐστιν* (195 A) virtutes Amori esse demonstratur; ipsae *πράξεις* postea separatim adduntur

(197E sqq.: *αἱ δόσεις*). Peculiarem autem quandam speciem praebent Timothei et Agamemnonis laudationes, quibus ipsis quoque personae describuntur, ille ut *στρατηγὸς* rebus gestis antea enumeratis, hic ut rerum bene gestarum clarus auctor munere eius et expeditione in universum tractatis; quarum formam aliam esse et a primo patet, et praesertim Theseo comparato elucet. In Thesei enim encomio facta communibus quibusdam notionibus subiunguntur, velut omnia facta comprehenduntur, quibus *ἀνδρία* illustratur, quibus *εὐσέβεια*, quibus aliae virtutes. Sic virtutibus describitur persona ratione quadam, ut ita dicam, synthetica. Alia vero est ratio Timothei laudationis. Ex tota indole depromitur caput quoddam encomio aptissimum, velut virtus ducis (vel regis); deinde hoc caput in partes divisum atque explicatum ad illam personam laudandam refertur, proinde ac si esset descriptio huius personae. Hanc rationem analyticam nuncupo. His vero duabus rationibus facultas hominis laudatione veritati accommodata describendi omnino tollitur. Nam si, ut in Theseo, ab ipso homine initium capies, synthesi id, quod eius maxime proprium est, statim omittere cogeris; et si, ut in Timotheo, hominis naturam diligenter vis explicare per analysin — quae ratio praeter ceteras admodum idonea est, qua propria quaedam hominis natura monstretur —: hac ratione analytica perfectum hominem tractas, typum ab aspectus et intellectus iudicio remotum. Quare his rationibus encomii descriptivi nihil nisi schemata efficiuntur. Idcirco etsi concedas Isocratem pro prioribus encomiorum scriptoribus longissime processisse, tamen hae rationes typicae ei non sunt laudi, immo reprehendi debent. Neque vero fortasse aliud quicquam exhibere voluit nisi exempla, quae, ut erat magister artis rhetoricae, ab initio prodere consuetus erat. Varietate vero illa laudationum demonstratur eum semper operam dedisse, ut nova encomia formaret; quod eo magis rursus laudandum esse videtur, cum constet posterioris aetatis rhetoribus nihil aliud curae fuisse nisi duas illas formas stabiles et nihil fere immutatas servare vel etiam solum descriptivum encomium praeferendo impedire, quominus novae excolerentur laudationum formae et simul progrederetur ars praedicandi.

Priusquam hanc dissertationis partem tabula concludam, pauca ad ipsam hanc tabulam adnotaverim. Etiam Helenam Gorgiae et Busiridem Isocratis narrativis encomiis subieci, quia secundum consilium scriptoris, non secundum ipsam tractationem huc pertinent. In Helena enim narrationis continuatio § 5 adumbrata propter *λογισμὸν* deflectitur et in Busiride Isocrates temporis ordinem, quamvis initio significet (11), nequit persequi, quia certa scilicet

memoria factorum illius deest. Peculiarem denique Xenophontis causam esse iam supra (p. 69 sq.) adnotavi. In Cyri enim epilogo partim dispositio biographica est, partim certis capitibus adiectivis significatis virtutes describuntur. In Agesilao vero illi typi continuantur: primum narratur, deinde describitur, postremo repetitur (secundum Euagorae exemplum); tabulae igitur haec non possum inserere.

Haec est typorum tabula:

encomia narrativa:	encomia descriptiva:
Isocratis Alcibiades	Agathonis Amor
(Epitaphii)	Isocratis Theseus
Gorgiae Helena	„ Nicocles
Isocratis Helena	„ Hercules
„ Busiris	[Demosthenis] Amatorius
„ Euagoras	*[Diod.-Eph., Epaminondas?]
*[„ Archidamus]	Isocratis Timotheus
Diod.-Eph., Pelopidas	„ Agamemnon

Hoc conspectu ipsorum encomiorum, quae adhuc exstant, tractationem concludo; iam accedam ad perlustrandam rationem laudandi, quam secundum haec et alia encomia similia formaverunt Anaximenes et Aristoteles, in artibus rhetoricis pronuntiatam.

11. De Anaximenis Lampsaceni praeceptis encomiasticis.

De arte rhetorica Anaximenis Lampsaceni melius explicanda nuper optime meritus est Wendlandius (Herm. 39, 419 sqq. et 499 sqq. et: Anaximenes von Lampsakos etc.). Recte enim a Spengelio Anaximeni tributam esse hanc artem Aristoteli adscriptam denuo demonstravit, et statuit anno fere 340., ante Aristotelis et post Theodoctis, quae non iam exstat, artes illam esse compositam. His igitur omnibus in rebus eum sequar.

Inter omnes constat Anaximenis arti propositos esse *τοὺς πολιτικοὺς λόγους*, i. e. orationes, quae „spectant ad communem civitatis sive totius Graeciae utilitatem“ (cf. Brandstaetter, Leipz. Stud. XV 136). Dividit vero hos *πολιτικοὺς λόγους* in duo genera, *δικανικὸν* et *δημηγορικόν*, et septem *εἴδη*, quorum tertium et quartum sunt *ἐγκωμιαστικὸν* et *ψεκτικόν*; de quibus in universum capite 3. disserit. Ac primum quidem definit illud ita: *προαιρέσεων καὶ πραξέων καὶ λόγων ἐνδόξων αὔξησιν καὶ μὴ προσόντων συνοι-*

*) Dispositio encomiorum stellula ornatorum non satis dilucida est.

κείωσιν. Deinde tradit praecepta quaedam inveniendi (Rhet. Gr. I p. 28; p. 29, 1: τὰ τοιαῦτα δὲ τοῖς προειρημένοις ὁμοιοτρόπως μετιὼν ἐγκωμίων καὶ ψόγων πολλῶν εὐπορήσεις). Tum ad ipsam αὔξησιν transit, de qua Aristotelis arte tractata disseram. Denique exit hoc caput in haec verba: χρήσιμοι δὲ αἱ τῶν αὐξήσεων ἀφορμαί εἰσιν καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις εἴδεσιν, ἀλλ' ἡ πλείστη δύναμις αὐτῶν ἐστιν ἐν τοῖς ἐγκωμίοις καὶ ἐν τοῖς ψόγοις; cui locutioni similia sunt verba capite 6. (p. 35, 13) exhibita: δεύτερον δὲ τὰς αὐξήσεις καὶ ταπεινώσεις χρησίμους ἀναγκαῖον εἶναι παρὰ πάντα τὰ λοιπά, μάλιστα δ' αὐτῶν ἐν τῷ ἐγκωμίῳ καὶ τοῖς ψόγοις αἱ χρήσεις. Quibus ex locis Brandstaetterus (p. 148) colligit: „auctorem huius artis . . . non fugisse haec duo εἴδη etiam sola constare et per se totas orationes posse efficere"; hoc recte mihi videtur dicere, perperam vero contendere ea, quae sequuntur. Occurrit enim in capite 35. schema quoddam laudationis; hoc autem ille dicit „trans fines initio constitutos vagari", i. e. πολιτικοῖς negat illud posse tribui λόγοις. Quamvis hoc ipse Brandstaetterus excuset (149: solam hominis laudem respicit; . . . in civilibus et in eis orationibus, quae in domestico usu ab autore non neglecto versantur, interdum fit, ut laudatio principalem teneat locum velut in epitaphiis), tamen Anaximenem ipsum sensisse affirmat, „hunc totum tractatum (c. 35) ad rem propositam non pertinere", cum dicat (p. 80, 8): ὡς γὰρ ἐπὶ τὸ πολὺ τῶν τοιούτων εἰδῶν οὐκ ἀγῶνος, ἀλλ' ἐπιδείξεως ἕνεκα λέγομεν, ubi „ἀγῶσι significat genus contionale et iudiciale . . ., de quibus ex instituto dicere coepit". Neque vero haec recte eum interpretatum esse contendo; quin etiam nego totum hunc locum adhuc quemquam ad sensum accommodate explicasse. Voce enim γὰρ annectitur enuntiatum illud modo exscriptum ad haec antecedentis enuntiati verba: ἐπὶ τὸ προσέχειν παρακαλοῦμεν ἔκ τε τῶν ἄλλων τῶν ἐν ταῖς δημηγορίαις εἰρημένων (his vero c. 29 = p. 66, 3 sqq. significatur) καὶ ἐκ τοῦ θαυμαστὰ καὶ διαφανῆ φάσκειν καὶ αὐτοὺς ἴσον καὶ τοὺς ἐγκωμιαζομένους καὶ ψεγομένους ἀποφαίνειν πεπραγότας. Complures hunc locum emendaverunt, equidem nulla voce nisi αὐτὸν cum Spengelio in αὐτοὺς mutata hoc modo verto: „ut attendant, qui audiant, adhortemur et . . . et eo, quod mirabilia et praeclara dicimus et ipsi, similiter atque eos, qui laudantur et vituperantur, fecisse demonstramus" vel, ut nostro sermone utar: „zum Aufpassen bewegen wir . . . dadurch, daß auch wir Wunderbares und Herrliches sagen, gleichwie jene es, wie wir aufzeigen, getan haben". In eo igitur posita est ἐπίδειξις, quod „θαυμαστὰ καὶ διαφανῆ φάσκομεν", i. e. in praeclara oratione arte composita, qua ipsi quoque (καὶ αὐτοὶ), qui laudant, prae illis, qui laudantur, emineant; cf. Isocr. Paneg. 186 ex. Ἐπίδειξις igitur

pertinet ad eum, qui laudat; quodsi hoc concesseris, facile mihi assentieris interpretanti: „plerumque enim in his speciebus dicimus non controversiae causa, sed ostentationis (i. e. nostri ipsius ostentandi vel artis nostrae ostentandae) gratia“. Quae verba nihil aliud significare mihi videntur nisi hoc: encomiis persaepe propria dicentis consilia subiciuntur, non tamen inde colligi debet trans fines eius, quae quaeritur, controversiae laudationes exire. Nam cum Anaximenes dicit: *οὐκ ἀγῶνος, ἀλλ' ἐπιδείξεως ἕνεκα λέγομεν*, non omnino encomia ab agone secludit, sed illud tantum significat: in encomiastica specie plerumque primum locum tenere *ἐπίδειξιν* (artis), ipsam rem quae agatur (i. e. *ἀγῶνα*) posthaberi. Idcirco perperam Brandstaetterum negare puto: „ad *πολιτικοὺς λόγους* has meras laudationes . . . posse numerari“, immo illis tribuendas esse censeo.

Sed iam quaeritur, quae ratio intercedat inter *τὸ ἐγκωμιαστικὸν εἶδος* et genera contionale et iudiciale. Ac primum quidem non potest dubium esse, quin Anaximenes encomia *δημηγορίᾳ* adnumeraverit. Hoc autem intelligitur ex totius libri perpetuitate. Inde enim a capite 29. singula *εἴδη* tractantur, ita ut cum *προτρεπτικὸν ἀποτρεπτικόν, ἐγκωμιαστικὸν ψεκτικόν* tractetur, nonnisi *δημηγορία* significetur (65, 19; 67, 3; 68, 23; 69, 2 et 7 et 8; 70, 3 et 16 et 21; 71, 24; 74, 8). Denique conferas c. 35 (p. 80, 4): . . . *ἔκ τε τῶν ἄλλων τῶν ἐν ταῖς δημηγορίαις εἰρημένων καὶ ἐκ* . . . et capitis 36 praecipue initium: *λοιπὸν . . . εἶδος τότε κατηγορικὸν . . . ταῦτα πάλιν, ὡς ἐν τῷ δικανικῷ γένει συνθήσομεν καὶ τάξομεν, διέλθωμεν.* Quid? quod vocibus (80, 4) *ἐπὶ τὸ προσέχειν παρακαλοῦμεν* oratio non potest significari nisi aut revera dicta aut ficta.

Affertur igitur capite 35. schema quoddam dispositionis *ἐγκωμιαστικοῦ εἴδους*, quod ipsum per se generi contionali subicitur. Neque tamen illud schema mera *δημηγορία* ducenda est, cum vix ulla oratio hanc formam exhibeat (cf. c. 5, p. 34, 21 sqq.); sed quasi absolutam formam Anaximenes praebet, quae omnibus laudationibus subest. Huc accedit, quod (c. 28) dicit ad species spectantem se orationum schemata propositurum esse (p. 65, 6: *ὡς δ' ἐπὶ τοῖς εἴδεσι χρὴ τάττειν τοὺς λόγους σωματοειδῶς* . . ., cf. 80, 8: *ὡς γὰρ ἐπὶ τὸ πολὺ τῶν τοιούτων εἰδῶν* . . .); atque quamvis sciamus in universum encomium generi contionali tribui, tamen in obscuro est, quae ratio intercedat inter *εἶδος* et *γένος*. Quare iure mihi videor posse contendere hoc schema laudationis adnumerandum esse et *πολιτικοῖς λόγοις* et *δημηγορίᾳ*, non tamen ut meram orationem, sed ut exemplum absolutum. Quod si concesseris, ne illud quidem miraberis, quod Anaximenes sophisticae quoque laudationis, quae non inter *πολιτικοὺς λόγους* est, praeceptis usus est, praesertim

cum haec etiam in epitaphiis, qui et *πολιτικοὶ λόγοι* sunt et illi schemati admodum similes, usurpentur.

Haec praefati ad ipsum illud schema accedamus. Ac primum quidem post prooemium difficilis quidam locus nobis occurrit *διαίρεσιν ἀγαθῶν* continens; Ipfelkoferus (die Rhet. des Anax., Würzburg 1889) eam omnino tollit ut ex Aristotelis scriptis interpolatam; Wendlandius (p. 54 sq.) vero, etsi hoc optime refutat, tamen unum iniudicatum relinquit: „ob der Redner die *διαίρεσις* stillschweigend der folgenden Lobrede zugrunde legen soll oder sie in einer *προέκθεσις* den Hörern vorlegen soll, scheint Anaximenes absichtlich in der Schwebe zu lassen“. Neque vero unquam haec *προέκθεσις διαιρέσεως* nobis occurrit, et aliud statui debebit, si Anaximenis verba accuratius interpretati erimus.

Sententiarum enim nexum hunc esse censeo: post exordium de bonis disserendum est; haec vero dividuntur in *τὰ ἔξω τῆς ἀρετῆς* et *τὰ ἐν αὐτῇ τῇ ἀρετῇ ὄντα ἀγαθά,* et secundum hanc divisionem debet scribi; illis tribuuntur *εὐγένεια, κάλλος, ῥώμη, πλοῦτος,* his *σοφία, δικαιοσύνη, ἀνδρεία, ἐπιτηδεύματα ἔνδοξα*; quorum haec iure dicuntur *τόποι ἐγκωμίου*; illa vero clam inseruntur (*κλέπτεται*). Haec omnia si accurate consideraverimus (*διαλογισάμενοι*), bene collocabimus singula: *μετὰ τὰ προοίμια πρῶτον τὴν γενεαλογίαν τάξομεν* ... Id quod Anaximenes optime dicit „*διαλογισάμενοι*“, nondum pertinet ad ipsam dispositionem. Neque enim *τῶν ἐν αὐτῇ τῇ ἀρετῇ ὄντων ἀγαθῶν* ordo idem est in dispositione atque in deliberatione. Nam *ἐπιτηδεύματα* parti, quae est de iuventute, subiciuntur (82, 14), et virtutes ipsae mutato ordine mediae aetati tribuuntur; et cum vocibus *μετὰ τὰ προοίμια* (80, 20) verba paulo supra prolata *μετὰ τὸ προοίμιον* (80, 11) quasi recipi apertum sit, illa praecepta patet aliena esse a collocatione, sed ad instituendam quasi praemeditationem pertinere.

Tantum vero abest, ut ceterae schematis partes integrae ducendae sint, ut Sauppio (Philol. XV 628) assentiri debeamus p. 82, 9 lacunam statuendam esse contendenti. Genere enim tractato (82, 9) vocibus *εἴ τι δὲ ἔνδοξον αὐτῷ διὰ τὴν ψυχὴν ὑπῆρξε* ... subito oratio irrumpit mediam in pueritiam explicandam (cf. 82, 11 sq.), cui respondent *νεανίσκου* (82, 16) et *ἀνδρὸς ἡλικίαι* (83, 18). Voces *διὰ τὴν ψυχὴν* non dubium est, quin oppositae sint vocibus *διὰ τὸ σῶμα*; sed haec *ἀγαθὰ* cum sint *ἔξω τῆς ἀρετῆς*, clam inserenda sunt. Ad hanc autem rem in primis *τόπον παιδείας* aptum esse ex Euagora intellegi potest, ubi parti, quae est de puero (*παῖς ὤν* 22), *κάλλος* et *ῥώμη* subiciuntur; et quomodo *πλοῦτος* collocetur, ex Alcibiade cognoscitur, ubi divitiae in ipsa narratione ter (25, 31, 33) significantur. *Εὐγένεια* vero cum ad maiores hominis

laudandi pertineat, primum locum tenet; verumtamen etiam illam quasi clam inseri his locutionibus Isocratis ostenditur: *τίνων ἦν ἀπόγονος . . . δοκεῖ μοι πρέπειν . . . διελθεῖν περὶ αὐτῶν, ἵνα πάντες εἰδῶσιν, ὅτι καλλίστων αὐτῷ καὶ μεγίστων παραδειγμάτων καταλειφθέντων οὐδὲν καταδεέστερον αὑτὸν ἐκείνων παρέσχεν* (Euag. 12) vel: *οὐδ' ἠξίωσεν αὐτὸς μὲν ῥαθύμως ζῆν, σεμνύνεσθαι δὲ ἐπὶ ταῖς τῶν προγόνων ἀρεταῖς, ἀλλ' εὐθὺς οὕτω μέγ' ἐφρόνησεν, ὥστε ᾠήθη δεῖν δι' αὑτὸν καὶ τἀκείνων ἔργα μνημονεύεσθαι* (de big. 29).

Cetera Anaximenis praecepta dilucida sunt; in ea parte, quae est de *νεανίσκου* aetate, *ἔργα* vel *τρόπος* vel *ἐπιτηδεύματα* tractando augenda sunt; comparari quoque debent aliorum iuvenum *ἔνδοξοι πράξεις*, ita tamen ut eius, qui laudatur, facta magis magisque eluceant (cf. ad hanc *σύγκρισιν* Wendland p. 58). In viri aetate narranda facta subiunguntur virtutibus; denique in extrema laudatione repetuntur atque congeruntur res (p. 84, 2: *παλιλλογήσαντες ἐν κεφαλαίῳ τὰ προειρημένα*). Haec igitur ex Anaximenis arte forma encomii explicari potest:

1. *προοίμιον,*
(2. *ἔπαινος*:)
   a) *εὐγένεια,*
   b) *παῖς*:
      α) *ἔνδοξόν τι διὰ τὸ σῶμα*: *κάλλος, ῥώμη,* (*πλοῦτος*);
      β) — *διὰ τὴν ψυχήν*: *σώφρων . . .*;
   c) *νεανίσκος*:
      ἔργα ἢ τρόπος ἢ ἐπιτηδεύματα;
   d) *ἀνήρ*:
      ἃ διεπράξατο: { 1. *δικαιοσύνη,* 2. *σοφία,* 3. *ἀνδρεία.* }
3. *παλιλλογία.*

Narrativi igitur encomii Anaximenes exhibet exemplum; comparari enim potest hoc schema cum Euagora, ad quem Wendlandius quoque (p. 57) delegat. In eis vero, quae de virtute disputat, errare mihi videtur. Permultum enim distat inter Anaximenis et Isocratis rationes virtutum explicandarum. Hic enim initio eius partis, quae est de media aetate (§ 23) tribus illis virtutibus breviter commemoratis nonnisi res gestas enarrat virtutem interdum in universum significans (cf. 30, 33, 46, alios locos); nihilominus tota laudatio narrativa est. Anaximenes vero et narrat et describit; conectit igitur duo genera encomiorum et cogit in unum, quae Isocrates separaverat, Xenophon (Agesilao) continuaverat. Non iam perspici potest, utrum haec laudationis forma ante Anaximenem (cf. Xenophontis Cyri laudationem) an ab eo ipso composita sit.

Utut res se habet, hoc constat neminem rhetorum hoc schema aut recepisse aut imitatum esse, ita ut id, quod Wendlandius (p. 57 sq.) proponit: „das Verhältnis der älteren Theorie, d. h. für uns vor allem des Anaximenes, zur späteren, namentlich zum auctor ad Herennium und Cicero, die Mittelglieder, die von dem maßgebenden Rhetor zu diesen überleiten, zu untersuchen“, inexplicatum oporteat relinqui, quia ille nimium tribuit auctoritati Anaximenis. Hoc potius proponendum esse videtur: investigandum esse, quae ratio sit inter encomia quarti a. Chr. n. saeculi et, quae inde orta est, Aristotelis disciplinam encomiasticam et inter artem, quae adhuc servata est Ciceronis, aliorum scriptis.

12. De Aristotelis praeceptis encomiasticis.

Ut Anaximenes, sic Aristoteles duobus locis agit de laudatione vel potius de genere demonstrativo; nam ab illo primo *ἐγκωμιαστικὸν* et *ψεκτικὸν εἴδη* genere, quod dicitur *γένος ἐπιδεικτικόν*, sunt comprehensa. Ac priore quidem loco (I 9) de materia et artibus laudationum disserit, posteriore (III 12 sqq.) de collocatione (*τάξις*). Equidem separo has partes tractando; primum enim posteriora explanabo, deinde pauca disputabo de priore parte ea addens, quae Anaximenes de his rebus adnotavit.

Aristoteles postquam in universum explicavit, quot et quales essent partes orationis in unoquoque genere, prooemii tractandi initium capit a genere demonstrativo. Eaedem fere res proponuntur atque ab Anaximene (c. 35). Sed dubium est, an locus ille non genuinus sit. Frider. Marx enim (die Rhetor. des Aristot. etc. p. 326) lineas 1415 a 5—7, Krausius (neue Studien zu Aristoteles, insbesondere über das *γένος ἐπιδεικτικόν*, 1907; append. II.) etiam 1414 b 39—1415 a 5 delent. Atque bene hunc censeo delere tot verba: neque enim ullo alio loco artis rhetoricae orationes deliberativae, velut *Ὀλυμπιακὸς* Gorgiae et Isocratis *Πανηγυρικός*, generi demonstrativo adnumerantur, quod eo minus fit probabile, quod 1418 a 29 Panegyricus ut *γένους συμβουλευτικοῦ* opponitur orationibus epidicticis.

Multo vero maioris momenti sunt ea, quae Aristoteles de narratione (*διήγησις*) disserit generis demonstrativi (III 16, 1416 b 16 sqq.). Quod supra (1414 a 38) negavit esse in genere demonstrativo *διήγησιν* (neque dubium est, quin hanc vocem non retinuerit nisi quod recepta erat rhetorum usu, cf. Wendland, A. v. L. p. 38), recte eum negasse hic demonstratur, cum statuendum sit: *διήγησις ἐν μὲν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς ἔστιν οὐκ ἐφεξῆς, ἀλλὰ κατὰ μέρος;* neque

enim est διήγησις nisi ἐφεξῆς, et διήγησις κατὰ μέρος, i. e. „stückweise“, „in Abschnitten“, potius descriptio dicenda est. Quod eis, quae sequuntur, accuratius explicatur: „perlustrandas esse dicit res gestas, quibus oratio contineatur; esse autem duplicem orationis rationem: continere eam et τὸ ἄτεχνον et τὸ ἐκ τέχνης. Neque enim ullam rebus gestis cum oratore intercedere rationem, cum materiam ille recipiat talem, qualis offeratur; sed pertinere τὰς πράξεις quoque ad oratorem, quia varie tractandae sint, priusquam in orationem inserantur. Nam demonstrari debere aliquid factum esse, si sit incertum, vel explicandum, quantum sit vel quale, vel haec omnia“. Hactenus facile intellegitur hic locus; sed statim hinc oriuntur difficultates. Nam voces οὐκ ἐφεξῆς (16) hoc loco videntur minus accurate mutatae esse in voces ἐνίοτε οὐκ ἐφεξῆς, deinde voces ἐκ μὲν οὖν τούτων ἀνδρεῖος, ἐκ δὲ τῶνδε σοφὸς ἢ δίκαιος (23 sq.) omnino non habent, quo referantur. Vir doctus Römer vocem ἐνίοτε vult deleri. Equidem censeo longe aliunde ad hunc locum sanandum aggrediendum esse. Vox enim οὕτως (23) etsi fieri potest, ut ad vocem ἐφεξῆς referatur, tamen vix potest cognosci, quid sit causae, cur difficile sit διήγησιν ἐφεξῆς memoria tenere. Magis igitur puto ad sententiarum conexum accommodatum esse, si vocem οὕτως ad verba, quae sequuntur quaeque haud cohaerent cum ceteris enuntiatis, referimus: ἐκ μὲν οὖν τούτων ἀνδρεῖος κτἑ.; has voces, quae particula encomii cuiusdam esse videntur (est quasi transitus a descriptione ἀνδρείας ad σοφίας caput expeditus), bene Aristoteles iudicat „δυσμνημονεύτους“ esse. Nam difficilius est memoria tenere „διήγησιν“, si hominis vitam gestasque res secundum capita quaedam, velut ἀνδρείαν, σοφίαν, alia, describis (qua ratione πράξεων ordo perturbatur), quam si facta secundum temporis seriem (ἐφεξῆς) enarras. Denuo igitur hoc loco nobis occurrunt contrariae rationes, κατὰ μέρος et ἐφεξῆς; sed hoc loco discrimen quasi diiudicatur secundum narrationem continuam, ita ut commendetur, ut, si res ita ferat (ἐνίοτε), διήγησις ἐφεξῆς adhibeatur. Sequitur, ut non vox ἐνίοτε, sed vox οὐκ delenda vel potius in aliam, velut αὖ καὶ (quarum vocum scriptione per notas αὖ κ, expressa fortasse lectio οὐκ exstitisse putari potest) mutanda sit. Loci vero sic emendati sensus hic est: „cum διήγησις tractatione, quae pertinet ad τὸ ἐκ τέχνης, admodum multiplex fieri possit (ἢ καὶ ἅπαντα 22), interdum rursus etiam (ἐνίοτε αὖ καὶ 22) secundum temporis ordinem narratio fiat necesse est, quia difficile est memoria tenere, si ita explices: ἐκ μὲν οὖν τούτων ἀνδρεῖος κτἑ.“. Hoc igitur modo scribendum et distinguendum esse existimo: διὰ δὲ τοῦτο ἐνίοτε αὖ καὶ ἐφεξῆς δεῖ διηγεῖσθαι πάντα, ὅτι δυσμνημόνευτον τὸ δεικνύναι οὕτως· „ἐκ μὲν

οὖν τούτων ἀνδρεῖος, ἐκ δὲ τῶνδε σοφὸς ἢ δίκαιος.“ καὶ ἁπλούστερος . . .

Ad hanc loci interpretationem quadrant ea, quae sequuntur, verba: *καὶ ἁπλούστερος ὁ λόγος οὗτος, ἐκεῖνος δὲ ποικίλος καὶ οὐ λιτός*; nam *διηγήσει κατὰ μέρος* cum *πράξεις* certis capitibus subiciantur, ipse factorum ordo confunditur, ita ut recte haec oratio dicatur „*ποικίλος καὶ οὐ λιτός*“, i. e. non secundum ordinem natura datum = *ἐφεξῆς*.

Etiam ea, quae sequuntur, praecepta memoriam repetunt loci, quo demonstratur, *διήγησιν* generis demonstrativi omnino non esse (III 13, 1414 a 38 sqq.): praeclara facta commemorari debere, non enarrari; exempli vero causa proponit Achillem Gorgiae; addere possis ex eis, quae adhuc exstant, encomiis Theseum Isocratis (25 sqq.).

Qui vero hunc sequitur locus inter difficillimos est totius artis rhetoricae. Hoc vero iam inde colligi potest, quod etsi bis exhibetur codicibus (I 9, 1367 b 27 sqq., et III 16, post 1416 b 29), bis a viris doctis reiicitur, cf. quae Spengelius ad hunc locum adnotavit, II p. 144 et 438, et Römeri prolegomen. p. CI. Non dubium est, quin brevis haec disputatio perperam inseratur capiti I 9; ibi enim illa ea, quae de proaeresi et auxesi disserit Aristoteles, media quasi dissecantur. Accedit, quod haec disserendi subtilitas atque elegantia non accommodari potest ad cetera illius capitis praecepta laxe conexa. Quare haec pars aut capiti III 16 inserenda aut omnino ex arte rhetorica exstirpanda est. Equidem illud praefero, neque tamen illam partem ad lineam 1416 b 29 ipsam adiungo, sed omnino ad lacunam eam pertinere censeo, quae est post 1416 b 29 quaque nihil minus quam finis demonstrativi et principium iudicialis generis obruta sunt. Atque cum illam partem re vera ad *τάξιν* pertinere mox intellegamus (nonnisi vocum *τὰ δὲ κύκλῳ εἰς πίστιν, οἷον εὐγένεια καὶ παιδεία* 1367 b 29 memoriam afferre debeo), iure me eam hoc loco tractare existimo.

Definitiones *ἐγκωμίου, ἐπαίνου, μακαρισμοῦ,* quas illa pars exhibet, Aristotelicas esse inde intellegi potest, quod etiam Ethica Nicomachea eas praebent. Eudemia quoque Ethica, cum eadem exhibeant, hic spectanda sunt.

Ac primum quidem — ut accedamus ad definitiones artis rhetoricae (1367 b 27 sqq.) tractandas — Aristoteles distinguere videtur inter *πρᾶξιν* et *ἔργον*. Et profecto in Eth. Nicomach. (1094 a 3) discernit inter haec: *διαφορά τις φαίνεται τῶν τελῶν· τὰ μὲν γάρ εἰσιν ἐνέργειαι, τὰ δὲ παρ᾽ αὐτὰς ἔργα τινά. ὧν δ᾽ εἰσὶν τέλη τινὰ παρὰ τὰς πράξεις, ἐν τούτοις βελτίω πέφυκεν τῶν ἐνεργειῶν τὰ ἔργα . . .*; sed inter haec discernens Aristoteles notum illud

discrimen spectat, quod est inter *πρᾶξιν* et *ποίησιν* (cf. 1140 a 3 et quae Ramsauer, Ar. Eth. Nic., Lips. 1878, adnotavit ad illum locum, 1094 a 3); paulo enim post seponitur hoc discrimen, quia non pertinet ad eum, qui sequitur, sententiarum conexum, cf. 1094 a 16: *διαφέρει δ' οὐδὲν τὰς ἐνεργείας αὐτὰς εἶναι τὰ τέλη τῶν πράξεων ἢ παρὰ ταῦτα ἄλλο τι,* ita ut mox promiscue usurpentur voces illae (cf. 1097 b 24 sqq. et Ramsaueri commentarium). In Eudemiis Ethicis ubique in his definitionibus vox *ἔργον* exhibetur (1219 b 8 sqq.). Sequitur, ut etiam loco illo artis rhetoricae non sit distinguendum inter *ἔργον* et *πρᾶξιν.*

Duas *ἐπαίνου* species Aristoteles proponit, *ἔπαινον* et *ἐγκώμιον; μακαρισμὸς* (sive *εὐδαιμονισμός*) cum de felicitate sit (*εὐδαιμονία*), quae non est inter *τὰ ἐπαινετά* (Eth. Nic. I 12, 1101 b 10 sqq., in primis 21 sq.), nihil continet, quod laudandum sit, ita ut omnino a disputatione secludi debeat. Et *ἐπαίνῳ* et *ἐγκωμίῳ* facta subiciuntur, cf. I 9, 1367 b 21: *ἐπεὶ δὲ ἐκ τῶν πράξεων ὁ ἔπαινος...* (hac voce significantur et laudativa pars generis demonstrativi [cf. praecipue 1366 a 26 sqq.] et species illa *ἐγκωμίῳ* adiuncta). Neque vero si eadem subiungitur materia, differre possunt nisi ratione explicandi. Et profecto solis distant factis collocandis. *Ἐπαίνου* enim principalem locum tenet virtus; sed ut hanc praedicet, factis testimoniis utatur orator necesse est; neque enim aliunde virtus intellegitur nisi ex factis, cf. Eth. Nic. 1128 a 10, 1179 a 18, Leo 188 sq. Contra encomii primum obtinent locum ipsa facta (*τὸ δὲ ἐγκώμιον τῶν ἔργων ἐστίν*), sed in factis laudandis virtus quoque spectatur: *τὰ δὲ ἔργα σημεῖα τῆς ἕξεως* („die Werke sind natürlich bloß Zeichen der Tugend"); nam *ἕξις* esse potest, etiamsi *ἔργα* desunt; haec vero in encomio afferri debent, non tamen in epaeno: *ἐπεὶ ἐπαινοῖμεν ἂν καὶ μὴ πεπραγότα, εἰ πιστεύοιμεν εἶναι τοιοῦτον* („denn durch einen *ἔπαινος* können wir allerdings auch einen verherrlichen, der ohne *πράξεις* ist, wenn wir nur die Zuversicht haben, daß er die *ἕξις* besitzt"). His igitur Aristotelis quasi adnotationibus denuo melius explicatur hoc discrimen inter species illas intercedens, quod breviter circumscriptum hac Eudemiorum Ethicorum definitione proponitur: *οἱ ἔπαινοι τῆς ἀρετῆς διὰ τὰ ἔργα καὶ τὰ ἐγκώμια τῶν ἔργων. Ἐπαίνῳ* enim quasi comprehendit orator facta *ἀρετὴν* spectans, cuius testimonia sunt; *ἐγκωμίῳ* autem singula illa afferens et deinceps enarrans virtutem exprimit. Hic vero est sensus alterius definitionis, quam Eudemia Ethica exhibent (1219 b 14 sqq.): *τὸ μὲν ἐγκώμιον λόγος τοῦ καθ' ἕκαστον ἔργου, ὁ δὲ ἔπαινος τοιοῦτον εἶναι καθόλου;* cf. ea quae Ramsauer adnotavit ad Eth. Nic. 1101 b 31 sqq. Denique nihil novi affertur Eth. Nic. definitione, quae haec est: *ὁ μὲν ἔπαινος τῆς ἀρετῆς·*

πρακτικοὶ γὰρ τῶν καλῶν ἀπὸ ταύτης· τὰ δ' ἐγκώμια τῶν ἔργων ὁμοίως τῶν σωματικῶν καὶ τῶν ψυχικῶν. Sensus huius loci idem fere est qui illius artis rhetoricae definitionis, quae his significari videtur verbis (1101 b 34): *ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἴσως οἰκειότερον ἐξακριβοῦν τοῖς περὶ τὰ ἐγκώμια πεπονημένοις;* neque vero dici potest accuratius arte rhetorica tractata illa esse, nisi forte *τὰ ἐξηκριβωμένα* eum, quem nunc lacuna obtinet, locum tenuerunt.

Sed quid est omnino causae, cur ad III 16 relegaverimus illas definitiones *ἐπαίνου* et *ἐγκωμίου*? Rationem quandam intercedere censeo inter *διήγησιν ἐφεξῆς* et *ἐγκώμιον* atque inter *διήγησιν κατὰ μέρος* et *ἔπαινον;* nam ibi cognoscimus (1416 b 23 sq.), quae sit ratio *διηγήσεως κατὰ μέρος;* vocibus enim „*ἐκ μὲν οὖν τούτων ἀνδρεῖος, ἐκ δὲ τῶνδε σοφὸς ἢ δίκαιος*“ ostenditur facta (*ἐξ ὧν ὁ λόγος* 18) virtuti ut capiti subici — et hoc ipsum maxime proprium est *ἐπαίνου.* Et si res gestae praevalent, nonne consentaneum est *ἐφεξῆς*, ut factae sunt, eas enarrari? et hoc ipsum maxime proprium est *ἐγκωμίου.* Eadem igitur ratione Aristotelem discernere putaverim *ἔπαινον* et *ἐγκώμιον*, qua nos encomium descriptivum et encomium narrativum. Hic enim facta, quae secundum temporis ordinem virtute semper significata (cf.: *σημεῖα τῆς ἀρετῆς*) enarrantur, summi momenti sunt, illic virtutes, quibus ut capitibus subiunguntur facta.

Neque vero traditur, quae fuerit dispositio encomiorum illarum specierum; breviter tantum adumbratur genere (*εὐγένεια*) et educatione (*παιδεία* 1367 b 29 sq.) in encomio definiendo strictim significatis. Neque vero Aristoteles explanat, utrum hae res in epaeno quoque afferri possint an debeant necne. Sed vix crediderim eas posse adiungi epaeno, cum neque virtutibus attribuendae sint neque commemorentur nisi in encomii ratione exponenda, ita ut ad encomium solum referantur necesse sit. *Παιδεία* quidem tunc solum afferri posse mihi videtur, cum secundum temporis ordinem fiet oratio. Accedit, quod ratione *ἐπαίνου* et *ἐγκωμίου* discernendorum impedimur, quominus *εὐγένειαν* et *παιδείαν* illi tribuamus. *Ἔπαινος* enim est oratio, qua hominis natura atque indoles quasi e transverso dissecta monstretur; sed cum hac ratione ostendatur, qualis sit homo, non quomodo talis factus sit, respuit haec oratio certe *παιδείαν*, fortasse *εὐγένειαν* quoque; *ἐγκώμιον* vero eas recipit; nam cum eius ratione, qua secundum temporis seriem *πράξεις* enarrantur, hominis natura explicando secundum vitae cursum quasi dissecetur (quod nos „Längsschnitt“ vocamus), ita ut explanet orator, non qualis sit homo, sed quomodo talis factus sit, — proximum est, si facta narrantur, ut etiam describatur, quae ante haec facta sint, et quibus ipsa

probentur (*τὰ δὲ κύκλῳ εἰς πίστιν* 1367 b 29 sqq.), *παιδεία* et ipsa indoles, quam recepit a maioribus, i. e. *εὐγένεια*; sensus hic est illius Aristotelis enuntiati: *εἰκὸς γὰρ ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθοὺς καὶ τὸν οὕτω τραφέντα τοιοῦτον εἶναι* (1367 b 30 sq.).

Tabulam hic proponere encomiorum supra tractatorum ad Aristotelis species relatorum supervacaneum est, cum eandem fieri necesse sit quam supra p. 77. suppositis tantum pro „encomio narrativo" voce „*ἐγκώμιον*" et pro „encomio descriptivo" voce „*ἔπαινος*".

Postremo duo quaedam inprimis velim significare. Magni momenti esse mihi videtur, quod Aristoteles cum multum tribuit indoli atque naturae eius, qui laudatur, magis praedicandae (cf. definitiones et quae praecipit de proaeresi, 1367 b 21 sqq.) quam arti oratoris illustrandae, tum, etsi initio capitis 9. discernit inter orationes *μετὰ σπουδῆς* et *χωρὶς σπουδῆς,* tamen postea in ipsa tractatione *παίγνια* praeterit, orationes illas ad ostentationem comparatas, neque quicquam spectat nisi laudem hominis, quamvis initio etiam deorum, urbium, aliarum rerum laudationes proposuerit. Sequitur, ut illi oratio epidictica non sit ostentationis plena, huc cf. supra p. 74 sq.

Deinde ad discernenda *ἔπαινον* et *ἐγκώμιον* vel potius rationes *ἐπαίνου* et *ἐγκωμίου* pauca adnotemus. Nam propriae sunt Aristotelis. Docet enim virtutem hominis cuiuslibet non nisi ex factis posse intellegi (Leo 188 sq., cf. supra p. 85). Haec vero ratio, quae *ἐγκωμίου* est, quasi directa dici potest. *Ἐπαίνου* autem ratio per ambages fit. Nam cum virtus ex factis solis intellegatur, hoc modo primum virtutes cognoscendae sunt, deinde proponendae, postremo rursus factis illustrandae. Aristoteles igitur optime dicit: *ἐμφανίζων μέγεθος ἀρετῆς.* Ut enim haec locutio, sic ratio quoque, qua praevalet virtus, vere encomiastica est et magis laudationi accommodata quam biographica illa *ἐγκωμίου.* Si vero haec consideraverimus, intellegemus, quid fuerit causae, cur et Aristoteles et saeculorum, quae sequuntur, rhetores *ἐπαίνῳ* plus tribuerint quam *ἐγκωμίῳ.* — Discrimen autem illud *ἐπαίνου* et *ἐγκωμίου* admodum simile est ei, quod intercedit inter Suetoni et Plutarchi biographias (cf. Leo 187): hac enim (ut *ἐγκωμίῳ*) *πράξεις* enarrantur, ut *ἦθος* emineat, contra illa (ut *ἐπαίνῳ*) *ἦθος* directe describitur. Huerthius autem (p. 19 n. 2) perperam mihi videtur *βίον* comparare cum *ἐπαίνῳ, ἱστορίαν* cum *ἐγκωμίῳ*: neque enim *ἦθος* significari potest in „vita" *(βίος)* nisi factis, i. e. per ambages (hic comparare potuit H. encomium), et etsi *ἱστορίᾳ πράξεις* enarrantur, tamen *σημεῖα τῆς ἀρετῆς* omnino desiderantur; et hac demum re similitudo intercederet *ἱστορίᾳ* cum *ἐγκωμίῳ.*

Quodsi postremo ea omnia, quae de arte rhetorica explanavi, respicio, ubique ex tractatione huius quoque regionis arte circumscriptae cognoscitur subtilitas atque ingenii elegantia Aristotelis maxime propria. Nam quamvis illa aetate, qua artem composuit rhetoricam, nonnisi initia et prima incrementa encomiorum exstarent, tamen tam bene rationes eorum perspexit, ut eas formas diligenter eligeret atque proponeret, quae re vera factum est, ut perpetuae atque stabiles essent, quin etiam cum typorum illorum praeferret, quem ut aetate, quae sequebatur, praevaluisse inter encomia, sic postremo omnes laudationes quasi occupatas constat tenuisse.

13. De praeceptorum perpetuitate.

Dispositione et materia encomiorum adhuc tractatis ipsa explicandi et tractandi ratio paucis debet percurri. Ac primum quidem si spectamus, quid sit maxime proprium laudationum, hyperbolicus quidam modus praecipue eminere dici potest. Neque enim encomio narrat orator, ut narret, aut describit, ut describat, sed sive narrat sive describit, id operam dat, ut is, quem celebrat, laudando atque praedicando omni modo efferatur. Et hac maxime ratione superlatio illa encomiorum efficitur, ex qua cetera omnia, quae laudationis propria sunt, quasi hauriuntur. Dissimulantur mala facta vel leniendo diminuendoque in bona fere mutantur, cf. Arist. Rhet. 1367 a 33 sqq.; finguntur bona, quae non exstant, cf. verba, quibus Anaximenes *ἐγκωμιαστικὸν εἶδος* definit (c. 3 init.): *προαιρέσεων καὶ πράξεων καὶ λόγων ἐνδόξων αὔξησις καὶ μὴ προσόντων συνοικείωσις*; cf. et Bus. 4. Significatur quoque his verbis id quod summum est encomiorum, *αὔξησις* scilicet. Praecepta Aristotelis eadem fere sunt atque Anaximenis, nisi quod ille eam *αὔξησιν*, quae fit in *προαιρέσει* (Anax.: *προαιρέσεων . . . αὔξησις*), ante ipsam *αὔξησιν* explicat (1367 b 21—26). Praecipitur ut numerus factorum praedicetur (Anax. p. 29, 4; Arist. 1367 b 23 sq.) vel natura augeatur minoribus aliorum factis comparandis (Anax. p. 29, 6 sqq.). Harum autem comparationum (*συγκρίσεις*) ab Isocrate iam ratio exhibetur (12, 39 sqq.) et exempla proponuntur, velut comparantur Theseus et Hercules (10, 23 sqq.), Helena et Hercules (10, 16 sq.), Euagoras et Cyrus (9, 35 sqq.).

Sed etiam singularum rerum praecepta admodum similia sunt:

Anaximenes:	Aristoteles:
p. 29, 22: *συμβιβάζων ὡς ἐκ πολλοῦ προενόησεν . . .* *. . . ὡς ἐκ προνοίας . . .*	p. 1367 b 22: *πειρατέον δεικνύναι πράττοντα κατὰ προαίρεσιν . . .*

p. 30, 1: *ὡς οὐδεὶς ἄλλος πρότερον τούτοις ἐπεχείρησεν . . .*	p. 1368 a 10: *εἰ μόνος ἢ πρῶτος πεποίηκεν . . .*
p. 29, 5 sq.: *ὑπὸ τουτουὶ πολλὰ γεγενῆσθαι ἀγαθὰ . . .*	p. 1367 b 25: *ἂν γὰρ πολλὰ καὶ ὅμοια προφέρηται, σημεῖον ἀρετῆς εἶναι δόξῃ . . .*
alii	loci . . .

Ut brevi comprehendam, colligi potest ex eis, quae supra attuli, augendi, ut ita dicam, rationem illorum rhetorum aetate magnopere amplificatam esse. Idem dici potest de genealogia (*εὐγένεια*); hoc autem artis vocabulum iam apud Isocratem nobis occurrit, cf. 11, 8; 15, 180; ratio vero generis laudandi, etsi sophistico modo, tamen perfectissime exhibetur ab Anaximene (c. 35, p. 80, 20—82, 9). Sed liceat mihi relegare ad ea, quae diligenter atque copiose collecta praebet Spengelius commentario ad Anaximenis artis caput 35. instructo (p. 230 sqq.).

Deinde locos quosdam encomiasticos significabo, qui saepe usurpantur; quorum multorum iam supra singula encomia tractans mentionem feci; magnam quoque partem Wendlandius (Herm. 25, 175 sqq.), cum de Menexeno dissereret, attulit; ad hanc autem collectionem relegans ea tantum nunc proponam, quorum ab illo in illa dissertatione mentio non facta est.

Ex locis illis quasi communibus encomiorum ei in primis eminent, qui ad bellum Troianum comparandum spectant. Velut negatur hoc bello pugnatum esse, ut Helena a Paride recuperaretur et ipse ille poena afficeretur, sed contenditur certamen potius fuisse de principatu inter gentes Europae et Asiae, cf. Is. 10, 51; 12, 83 et 186. Idem significatur eo, quod Helena esse dicitur *τοῦ μὴ δουλεύειν ἡμᾶς τοῖς βαρβάροις αἰτία*, cf. 10, 67; 12, 80; utroque loco etiam eadem afferuntur exempla, Danai, Cadmi, Pelopis; ipse vero ille quasi Troianus *τόπος*, qui proprie sic dici potest, et in epitaphiis nobis occurrit et in Isocratis scriptis (non tamen in encomiis), cf. 4, 83; 5, 112; etiam 9, 65; comparantur enim cum expugnatione Troiae alia bella, ita ut illius belli vis et eventus postponatur ei, de quo quaeritur. Haec vero est *παραβολὴ πρὸς ἔνδοξόν τι* (cf. Anax. et Arist. quae supra attuli). Illud quoque premitur, quod dicitur homo quidam omnibus virtutibus praeditus fuisse (cf. Isocr. 10, 21; 9, 23; 12, 72 et 123) vel gloriam, cuius a maioribus acceptae ipse quoque particeps fuisset, eis, quae *δι' αὑτὸν* sibi comparavisset, vel auxisse vel superasse (cf. Isocr. 3, 29; 9, 12; 11, 10; 16, 29); opponuntur *διὰ τύχην* et *δι' αὑτὸν* etiam ab Aristotele, p. 1368 a 4.

Postremo duos locos significare velim, quibus in primis probari videtur Isocratem praecepta quaedam laudandi invenisse,

quae scholis tradidisse putandus est: *δεῖ . . . τοὺς ἐπιχειροῦντας καθ' ὑπερβολήν τινας ἐπαινεῖν μὴ τοῦτο μόνον ἐπιδεικνύναι μὴ πονηροὺς ὄντας αὐτούς, ἀλλ' ὡς ἁπάσαις ταῖς ἀρεταῖς καὶ τῶν τότε καὶ τῶν νῦν διήνεγκαν* (12, 123), et: . . . *τοιούτους αὐτοὺς παρασχόντες ὥστε τοὺς μετὰ τέχνης ἐγκωμιάζοντας μὴ δύνασθαι τοὺς ἐπαίνους ἰσῶσαι ταῖς ἐκείνων ἀρεταῖς* (5, 100). Talia vero praecepta, quae raro directe proponuntur, per ambages facile expromuntur ex ipsis encomiis. Sed utcumque res se habet, patet in Isocratis disciplina ad magnam perfectionem absolutionemque pervenisse laudandi rationem. Unde haud scio an etiam Anaximenes et Aristoteles ea, quae artibus rhetoricis tradunt, praecepta inveniendi sumpserint, praesertim cum Aristoteles crebro spectet Isocratis scripta. Perpetuitate igitur quadam coniunguntur libri Aristotelis, Anaximenis, orationes Isocratis forte conservatae, neque tamen ita ut Anaximenis praecepta ad Isocratem, Aristotelis ad Anaximenem referri possint (id quod Hürthius putat, p. 16 et 18), sed ita ut, proinde atque Isocratis praecepta per multas artes rhetoricas quasi diffusa sunt, sic Aristoteles quoque et Anaximenes ea quasi excepisse atque collegisse putandi sint, eadem fere aetate, sed liberi inter se et paululum diversi: Anaximenes enim illa praecepta una cum sophistarum quasi sordibus (cf. in primis *γενεαλογίαν*) recepit, Aristoteles vero quasi purgata et emendata perfectissime tradit.

Pars III. Encomiorum prosae orationis historia B.

1. Exordium.

Quamvis auctoritati Aristotelis, si spectas vim eius in litteris iudicandis, etiam ad encomia formanda valenti permultum facile tribuas, tamen praecepta eius re vera ad usum encomiasticum mutandum vel moderandum perparvi, quod perspiciamus, momenti videntur fuisse; nam formae ipsae per se progressae per se ipsas quoque excolebantur atque suis quasi adolescebant incrementis. Ea autem, quae Aristoteles exposuit, magni aestimanda sunt, si rationem et disciplinam potius spectabis; nam ille primus eo, quod inter *ἔπαινον* et *ἐγκώμιον* discrevit, ostendit, quid esset maxime proprium encomiorum, quae illa aetate composita erant, quasi et transverso dissecando historiam explicans atque, qui esset tamquam status rationis laudandi, dilucide explanans. Idem Anaximene comparato dici potest de inventione laudationis; nam etsi haec praesertim auctore Isocrate latissime patebat, tamen ille primus eam arte et ratione accurate et perfecte tractavit.

Quamquam igitur Aristotelis vis in encomiis maxime ratione comprehensis cernitur, nos hac aetate ad usum quoque ea, quae tradit, referre possumus, propterea quod ab eo illorum temporum encomiorum historia optime illustratur (cf. quattuor illa capita: *χωρὶς σπουδῆς* — *μετὰ σπουδῆς,* I 9, 1366 a 29; *ἔπαινος* — *ἐγκώμιον,* I 9, 1367 b 27 sqq.) et quod ars rhetorica eius quasi extremus terminus putandus est ante aetatem duorum saeculorum, cuius litterae funditus fere obrutae sunt. Nam encomiorum illorum temporum pauca adhuc exstant eaque haud integra. Verumtamen sufficiunt ad encomiorum illius aetatis historiam satis accurate perspiciendam atque enarrandam.

Iam supra ostendimus, quomodo in historiam encomia irrupissent; Isocratis vero discipuli et, qui hos imitati sunt, hoc praecepti instar secuti sunt, ut epilogos laudatorios insererent, velut Ephorus (vide supra p. 72 sq.), Theopompus, Duris, Timaeus (cf. Leo 108; Wilamowitz, Gesch. d. gr. Lit. 106), alii. Etiam ad biographiam, cui semper consuetudo quaedam erat cum laudationibus

(Leo 188), excolendam valuit encomium; velut ab Antigono Carystio encomii dispositio, quae adiectivis indolem et naturam eius, qui laudatur, describentibus significatur, ad biographiam translata est. Rationem rhetoricam etiam ad poetica Alexandrinae, quae dicitur, aetatis encomia delatam esse Crusius demonstravit (Philol.-Vers., Zürich 1887, p. 269 sqq. et RE *ἐγκ.* V.). Equidem huius rei exemplum afferam Theocriti carmen XVII.: *ἐγκώμιον εἰς Πτολεμαῖον.* Est enim ipsum „encomium scholastice distinctum" (Wilamowitz, Bucol. Gr. p. 162). Incipit a tribus systematis quaternorum versuum, quorum primo opponuntur Iuppiter, summus deus, et Ptolemaeus, summus homo, altero ad heroum celebratorum exemplum Ptolemaeum cantatum iri poeta pronuntiat, tertio encomiastice abundantia materiae premitur. Deinde ipsum encomium sequitur. Ratio explicandi poetica scilicet esto: apostrophae, comparationes, totus mythologiae apparatus, orationes, sententiae, alia exhibentur; sed id quod ad nostrum propositum pertinet, i. e. dispositio et structura et res encomio subiectae, admodum rhetorice distinctum est:

1. *προοίμιον* 1—12;
2. *γενεαλογία* 13—57:
   a) *γένος* patris 13—33,
   b) *γένος* matris 34—57;
3. *γοναὶ* Ptolemaei 58—75;
4. laudatio *ὄλβου* (cf. secundum Wil. p. 162 iam v. 66: *ὄλβιε*):
   a) terrae cultura et dominatione summa eius fortuna ante oculos ponitur (75—95);
   b) sed eam etiam bene tuetur et servat (95—105);
   c) et ut gloriam sibi pariat, fortuna et divitiis optime utitur (106—120); inseritur *σύγκρισις* Ptolemaei et Atridarum Priamique (118—120);
5. *ἐπίλογος* (121—137).

Postremo paegniorum fiat mentio, quorum etiam huius aetatis nulla adhuc exstant exempla, quae tamen composita esse et interdum effloruisse inde colligi potest, quod Philodemus (I 215 sqq. Sudh.) ea reiicit.

2. De partitione laudationum.

Laudationes hominum Leo (p. 227) subtili quodam modo dividit in biographicas et oratorias. De his vero duabus partibus haec contendit: „während so das biographische Enkomion seinen Weg weiter ging, hat sich im Anschlusse an den Enagoras und Agesilaus in der Rhetorenschule die Theorie des epideiktischen

ἐγκώμιον gebildet ... Wie ihr Ursprung in biographisch concipierten Lobschriften lag, so ist das in ihnen herrschende System völlig biographisch; ... das historische Element ist aber zurückgedrängt und in eine der rednerischen Epideixis gemäßere Form aufgelöst worden, durch die Zerteilung der Taten unter die einzelnen Tugenden. Denn die Theorie gilt durchaus der Rede ...". Sed haec in disceptationem vocanda sunt. In artibus enim rhetorum Latinorum utraque forma exhibetur; quod quia infra accuratius explanabimus, satis sit significari Ciceronem (partit. orat.) et Quintilianum exhibere et rationem historicam et schema virtutum. Item apud biographos nobis occurrit utraque ratio; velut historica forma Philopoemene Polybii, quae vero pertinet ad virtutes Cornelii Nepotis Epaminondae laudatione (quae a Leone ob id ipsum vituperatur) praebetur. Deinde cum encomium biographicum, quia facta enarrando ἦθος illustrat, admodum simile sit biographicis Plutarchi scriptis, elocutione vero haec etiam superare videtur, de encomio biographico quoque dici posse existimo, quae Leo (p. 178) affirmat: „für Plutarch ist die Schönheit die Hauptsache ... die vitae Suetons sollen gelesen, die Plutarchs vorgelesen werden. Sueton will den Stoff überliefern, Plutarch den überlieferten Stoff durch die Form erfreulich machen"; recitatio autem et oratio non ratione, sed gradu tantum inter se differunt. Postremo in ipsa ratione laudandi explicanda Ciceronem (de or. II 341) ad biographiam Graecam spectare apparet; nam ea, quae ibi afferuntur encomia, velut Epaminondas, praecipue Alexander et Philippus, biographica esse ex hisce verbis concludere possis: „ipsi enim Graeci magis legendi et delectationis aut hominis alicuius ornandi causa" (illud ad scriptas laudationes, hoc ad laudationes oratorias spectat) „quam utilitatis huius forensis causa laudationes scriptitaverunt" ... et illam quoque speciem se explicaturum esse Antonius dicit eodem loco (II 341): „sed tamen quoniamst utendum aliquando, nonnumquam etiam scribendum ... ut nosmet ipsi ornandi causa Graecorum more, si quos velimus, laudare possimus, sit a nobis quoque tractatus hic locus". Et haec praefatus virtutum schema proponit.

Discerni igitur possunt laudationes et ratione emittendi et forma, ita ut quattuor efficiantur quasi capita encomiorum, non duo tantum; tot enim Leo proponit, cum illas rationes haud recte in unam cogat. Non igitur sequi possum Leonis partitionem, quae haec est:

encomium

1. scripta laudatio	2. oratio laudatoria
(= biographica l.)	(= virtutum schema)

sed hanc partitionem propono:

encomium
1. scripta laudatio — 2. oratio laudatoria
a) biographicum,
b) virtutibus dispositum.

Sed haec disserentes iam medias in quaestiones ducimur. Illud vero teneri velim non posse discerni subtilem illum in modum ratione laudandi inter scriptas laudationes et dictas.

Denique pauca praefanda sunt de numero laudationum adhuc exstantium. Nam cum encomia scripta complura servata sint, velut Cornelii Nepotis Epaminondas et Agesilaus (quae scribens Graecis usus est encomiis) et Atticus quoque (quo Graeca exempla imitatur), vel restitui possint, velut *ἐγκώμιον Φιλοποίμενος* Polybii decimo libro *ἱστορίας* (X 21 sq. [24 sq.]) commemoratum et paucis descriptum, — cum nonnisi unum Matridis *Ἡρακλέους ἐγκώμιον* exstet, vel potius ex Diodori bibliotheca (IV 9 sqq.) expromendum sit (cuius orationis sollemnis quamvis ornamenta, quae pro elocutione qualem fuisse Matridis tradunt, admodum copiosa fuisse putanda sint, omnino sint detracta, etiam nunc cognosci potest dispositio): ad artes oratorias in primis rhetorum Latinorum delegamur, quae e Graecorum fontibus haustae sunt rhetoricis, velut auctoris ad Herennium libri de arte rhetorica (III 6, 10 sqq.), Ciceronis de inventione (II 59, 177 sq.), de oratore (II 10, 43 sqq.; 84, 341 sqq.) libri, partitiones oratoriae (4, 11 sq.; 20, 69 sqq.); hisce vero asserenda sunt Theonis (RhGr. II 109 sqq. Sp.) et Quintiliani praecepta (III 7, 1 sqq.). Denique interdum Hermogenes (RhGr. II 11 Sp.) respiciendus est, cuius ars quasi cardo dici potest rationum, cum ea discerni possit inter laudandi rationes priorem et novam quandam posteriorem.

3. De eis quae adhuc exstant laudationibus scriptis et dictis.

Aetate quae est inde ab anno 330. usque ad annum 150., i. e. ab Ephori temporibus usque ad Polybii et Matridis encomiorum tempora, nihil traditur de laudationibus, nisi quod encomia a Cicerone commemorata (de or. II 341) ad hanc ipsam aetatem potes delegare. Neque tamen ita incommode accidit, quod encomia huius aetatis omnino interciderunt; neque enim, si formam encomii, quae viget circa annum 150., comparamus cum priorum temporum typis perfectissimis, velut cum Alcibiade vel potius cum Euagora ab Isocrate compositis, aliquantum profecisse scriptio en-

comiastica dici potest. Concedes hoc, si Philopoemenis encomii (quae quidem possit restitui) dispositionem:

γένος (*ἱστ.* X 21, 5);
παιδικὴ ἀγωγή (21, 6) = *τροφή, παιδεία* (22, 1);
ἀκμῆς ἔργα — (*κεφαλαιωδῶς δεδηλωμένα*) — (21, 7) = *ἐπιφανέσταται πράξεις* (21, 6);
θάνατος (XXII 12 sq.).

cum Alcibiadis dispositione comparaveris:

γένος (Isocr., de big. 25—27);
παιδεία (28): { *ἐπιτροπευθῆναι* (quia: *ὀρφανὸς κατελείφθη*), *τραφῆναι*, *παιδευθῆναι*;
δοκιμασθείς (29) . . . *πράξεις* (29);
πρεσβύτερος (30) . . . *πράξεις* (30 sqq.)
[*τελευτὴ* significatur 40].

Eadem est ratio orationum, quarum unum exemplum est Matridis *Ἡρακλέους ἐγκώμιον*; schema eius hoc est:

γένος (Diod. bibl. IV 9, 1);
γένεσις (9, 2 sqq.): ante *γένεσιν* (9, 2 sqq.);
post *γένεσιν* (9, 6 sqq.);
τροφή | *παιδεία* } (10, 2 sqq.) — significantur *ῥώμη σώματος* et *ψυχῆς λαμπρότης*;
[10, 2: *τραφεὶς καὶ παιδευθεὶς καὶ μάλιστ' ἐν τοῖς γυμνασίοις διαπονηθείς* (hoc peccatum in temporum ratione admissum maxime proprium est rhetoris) *ἐγένετο ῥώμῃ τε σώματος καὶ ψυχῆς λαμπρότητι περιβόητος, ὅς γε*]
τὴν ἡλικίαν ἔφηβος ὢν [*πρῶτον μὲν ἠλευθέρωσε τὰς Θήβας* . . .]

Sic hac quoque laudatione post *παιδείαν* commemoratam facta secundum aetates vel temporis ordine servato enarrantur. Caput scilicet sunt nota illa duodecim opera (11, 3 sqq.), quibus explicandis eo quoque Euagoram imitatur Matris, quod identidem factis *ἀρετὴν* illustrari dicit, velut *ἐπίνοια* (13, 1; 13, 2; al.) commemoratur, *ἐπιείκεια* (12, 7), *ψυχῆς ἀγχίνοια* (13, 1), aliae. Hoc quoque habet encomium, ut laudibus insertis laudationem augeat, id quod Aristoteles praecipit (Rhet. III 17, 1418 a 33): *ἐν . . τοῖς ἐπιδεικτικοῖς δεῖ τὸν λόγον ἐπεισοδιοῦν ἐπαίνοις, οἷον Ἰσοκράτης ποιεῖ· ἀεὶ γάρ τινα εἰσάγει·* . . .; cf. ad hanc rem laudem Orphei (25, 2—4, quem locum Holzerus, qui primus intellexit, illo encomio usum esse Diodorum in Herculis vita describenda (Matris, ein Beitrag zur Quellenkritik des Diodor, progr. Tubingense 1881), Matridi tribuendum esse demonstravit). Denique mortem quoque Herculis enarratam fuisse illa laudatione Holzerus ostendit.

Quodsi duo illa encomia animis perlustramus, facile cognoscitur eundem typum imitari et scriptas laudationes et orationes laudatorias, cuius auctor Isocrates, exempla vero sunt Euagoras et Alcibiades.[1])

A quo quasi fertili loco inter vastas solitudines sito aggrediamur ad Cornelii Nepotis laudationes. Quae etsi Latine scriptae sunt, tamen meo iure ad propositum me eas referre censeo; nam primum ad Graecos pertinent (Attici vero laudatio Graecum imitatur exemplum), ita ut Cornelius e fontibus Graecis hausisse putandus sit; deinde encomia minime propria sunt litterarum Romanarum; Cicero enim ea paene seiungit a disputatione (de or. II 10, 43; cf. etiam Leo 226).

Leo tria illa Cornelii encomia accurate et eleganter explicavit (pp. 207—215, 226, 228, 230). Quare satis habeas ea, quae disserendo effecerit, paucis me tractare et ad id quod propositum est referre.

In Agesilai laudatione mera praevalet narratio; genus vero significatur, cum certamen de regno factum exponitur; *παιδεία* autem omnino deest. Sed in narratione interdum virtutes significantur (Leo 211 sq.). — Attici vero laudationis illud maxime dignum est, cuius mentio fiat, quod Xenophontis Agesilaum quasi continuat; sed nonnisi usu haec laudationis forma videtur continuata esse, cum in ipsa ratione explicanda nusquam afferatur (Leo 213—215).

Epaminondae vita Leoni singularis videtur esse, quia etsi vitis adnumeratur, tamen vita non secundum temporis ordinem enarratur. Neque vero, cum hanc vitam re vera encomium esse appareat, mirum esse debet, quod virtutum schema ei tribuitur.

---

[1]) Diodorus vero etiam aliam quandam orationem schematice quidem adumbrat (I 92, 5), i. e. orationis funebris Aegyptiorum structuram; ipsum sane morem eorum non puto eum re vera describere, sed formam potius encomii, quam noverat, illuc transferre. Eo maioris vero momenti haec forma est ad rationem laudandi cognoscendam; sed cum non possit intellegi, ad quod tempus fere deleganda sit, nonnisi adnotatione eam exhibere cogor. Haec Diodorus tradit: ante ipsum funus hominis iudicium publicum apud Aegyptios instituitur et facultas datur mortuum accusandi; si recte accusatur, non sepelitur; *ὅταν δὲ μηδεὶς ὑπακούσῃ κατήγορος ἢ παρελθὼν γνωσθῇ συκοφάντης ὑπάρχειν, οἱ μὲν συγγενεῖς ἀποθέμενοι τὸ πένθος ἐγκωμιάζουσιν τὸν τελευτηκότα, καὶ*

1. *περὶ μὲν τοῦ γένους οὐδὲν λέγουσιν, ὥσπερ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν, ὑπολαμβάνοντες ἅπαντας ὁμοίως εὐγενεῖς εἶναι τοὺς κατ᾽ Αἴγυπτον,*
2. *τὴν δ᾽ ἐκ παιδὸς ἀγωγὴν καὶ παιδείαν διελθόντες,*
3. *πάλιν ἀνδρὸς γεγονότος τὴν εὐσέβειαν καὶ δικαιοσύνην, ἔτι δὲ τὴν ἐγκράτειαν καὶ τὰς ἄλλας ἀρετὰς αὐτοῦ διεξέρχονται . . .*

virtutum igitur schema, quod infra in ratione orationum dilucidanda nobis occurret, etiam hic orationi tribuitur.

Sed iam supra demonstravi schemata illa promiscue usurpari in laudationibus et dictis et scriptis.

Sed summa in eo posita est difficultas, quod Cornelius eam, quam initio (1, 4) proponit, dispositionem progrediente vitae descriptione non sequitur: „quare dicemus (1) primum de genere eius, (2) deinde quibus disciplinis et a quibus sit eruditus, (3) tum de moribus ingeniique facultatibus et si qua alia memoria digna sunt, (4) postremo de rebus gestis, quae a plurimis animi anteponuntur virtutibus". Quod dicit „res gestas a plurimis anteponi virtutibus", quaerendum est, quas intellegat Cornelius animi virtutes. (a) Si idem sunt, quod „mores ingeniique facultates", num dicit se a „plurimis" discedere eo, quod primum virtutes, tum facta exponit? Non sane constat, qui „plurimi" sint; ratio vero eorum, si illud accipimus, eadem est atque Xenophontis in Agesilao exhibita; sed haec vix tam late patuisse putari potest, ut a „plurimis" usurpari dicatur. (b) Sin animi virtutes ab illis facultatibus alienas esse vult, dispositio admodum obscura est: sequiturne plurimos an ab illis discedit? hoc si facit, utrum virtutes omnino omittere vult an post facta ponere? quid omnino in animo habet? Nam profecto Nepotem non putare possumus eum fuisse, qui nova laudationis specimina conformaret. — Sed ipsum encomium spectemus: postquam (1) genus (c. 2, 1), (2) disciplinam (c. 2, 2 sqq.), (3) mores (3, 1 sqq.) descripsit, postremo singulas Epaminondae virtutes exemplis illustrat. Haec vero est dispositio, quam Cicero (part. orat. 23, 82) exhibet: „quemadmodum (1) generatus, . . . (2) educatus, . . . (3) institutus moratusque fuerit et si quid cui magnum . . . acciderit . . . (4) quae quisque senserit, dixerit, gesserit ad ea, quae proposita sunt, virtutum genera accommodabuntur". Ipsa tractatio Epaminondae encomii cum hac collocatione optime congruit; quare verisimile est difficultatem inesse in voce „anteponuntur" (Ep. 1, 4), quae eundem apud Cornelium locum obtinet, quem apud Ciceronem vox „accommodantur". Corruptela autem hanc in illam mutatam esse vix probari potest. Illud tamen in memoriam revocandum est et Cornelium Graecam excerpere laudationem (Leo 211, cf. c. 4, 6) et Ciceronem Graecos sequi rhetores; et cum, si illae voces „accommodare" et „anteponere" in Graecum vertuntur sermonem, voces admodum similes „προστιθέναι" et „προτιθέναι" efficiantur, difficultatem facile censeo tolli, si statuimus obscuritatem factam esse vocibus illis Graecis falso permutatis; et vocem „accommodare" re vera respondere Graecae voci „προστιθέναι" ipso hoc sensu de factis virtutibus accommodandis usurpatae ex Theone (p. 112) cognoscitur: . . . *λέγοντες γὰρ ἄλλα προστίθεμεν κατὰ μίαν ἑκάστην ἀρετήν* . . . In dubio sane

relinquendum est, an Cornelio hic error tribuendus sit; neque vero veri absimile est, cum diversas laudandi rationes non ita accurate eum perspexisse etiam inde concludi possit, quod Epaminondae encomium, quod excerpsit, admodum inconvenienter contraxit (cf. infra p. 113 sq.). Quodsi hunc in modum locum illum interpretamur, repugnantia rerum (cf. Leo 209. 211.) omnino tollitur.

Sed haec disserentes iam artis et rationis quasi in regionem irruimus; sed cum infra, si de partitionibus oratoriis disseremus, ad Epaminondam revolvamur, hic satis habeas tabulam eorum, quae adhuc effecimus, proponi:

	schema	
	biographicum	virtutum
oratio laudatoria	Hercules	
scripta laudatio	Philopoemen	Epaminondas

Locus tabulae nomine carens (potest huc referri Diod. I 92, 5) expletur eis, quae disseremus:

4. De ratione laudandi Romanorum scriptis exhibita.[1]

Hoc propositum etiam difficilius est quam illud, quod modo tractavimus; nam si solius rationis laudandi historiam spectas, inde ab Aristotelis aetate usque ad annos fere 94.—91. (quibus Cicero didicit praecepta, quae tradit libris de inventione scriptis) desunt ea, quibus nisus illam potes enarrare. Nihil igitur relinquitur, nisi ut eis, quae adhuc exstant, artibus rhetoricis usi originem singularum rationum colligamus sive ex similitudine, sive ex diversitate praeceptorum, quae illae exhibent de inventione et de dispositione. Ut tales coniecturae nonnisi cautissime fiant necesse est, sic capita sola graduum et quasi processuum encomiasticae rationis cognosci possunt. Haec praefatus ad ipsum propositum accedo id studens, ut primum explanem, quae ratio intercedat inter singularum artium rhetoricarum materias, deinde explicem, quid harum omnium commune sit, postremo ostendam, quomodo id, quod inde efficiatur, in perpetuitatem laudationum historiae inserendum sit.

[1]) Ad hanc partem dissertationis referre potes, quae Peters de rationibus inter artem IV. et I. saecudi intercedentibus p. 71 sqq. dixit (diss. Kil. 08). Quo libello non putavi ea, quae sequuntur, supervacanea facta esse. Illius enim tractatio ad singulas potius res pertinet, velut omnia, quae inveniri possunt apud rhetores, bona enumerare studet, non tamen schemata comparat aut perquirit, quae quibuscum conectenda sint, id quod — encomia scilicet sola spectantes — mox considerabimus. Quare cum haec dissertatio cum illa nonnisi leviter materia cohaereat, liceat hoc loco in universum ad eam delegare.

Ac primum quidem perscrutemur:

a) De inventione quid praecipiant.

Non est dubium, quin rhetorum aetatis, qui dicitur Hellenisticae, summa auctoritas tribuenda sit Hermagorae Temnio; nam eis, quibus hic fuit, temporibus et ipsius opera ars rhetorica Platonis et Aristotelis disputationibus concertationum plenis prostrata, ab institutione et disciplinis remota, in rhetorum quasi pistrinis sine iudicio decantata atque obtrita, denuo effloruit ita, ut, cum certamen inter rhetores et philosophos redintegraretur, tantum abesset, ut rhetores opprimerentur, ut disciplinam, quae dicitur, sophisticam renovarent (cf. Ioannes de Arnim, Dio von Prusa, cap. I). Quae cum ita sint, consentaneum esse mihi videtur nos perquirere, utrum, quae est Hermagorae ad artem rhetoricam excolendam auctoritas, encomiorum quoque praecepta per eum aliquantum mutata sint necne. Laudationes quidem et vituperationes in eius arte, quae quidem restitui possit (cf. Thiele, Hermagoras), nimis in angustum coactae videntur esse. Tota enim ad iudiciales orationes directa est, ita ut ampli illius Aristotelis generis demonstrativi praecepta in unam partem tertii status, quae inscribitur *περὶ προσώπου*, coartarentur. Ex statibus omnino quasi excidunt (cf. Thiele 48 sqq., 67 sqq. praecipue 76) — nam quid sibi vult in encomiis ratio illa dialectica *καταφάσεως* et *ἀποφάσεως*, cum non quaeratur, quomodo factae sint res, sed illud potius spectetur, ut in partem aut laudandi aut vituperandi accipiantur? Et profecto ne ulla quidem re significari videtur praecepta *στάσεων* etiam ad laudationes esse translata. Ac ne illud quidem verisimile est rationis perpetuitatem atque constantiam artis Hermagoreae propriam (Thiele 84 sqq.) commodo fuisse laudationum rationi excolendae propterea, quod nimis posthabebatur laudatoria oratio iudiciali.

Quare nonnisi ex eis, quae communia sunt generi iudiciali cum demonstrativo, utilitatem encomia percipere potuisse censeo, i. e. ex inventione. Nam capita eius *μορίου περιστάσεως*, quod *πρόσωπον* dicitur, et ad orationes iudiciales et ad laudationes (et vituperationes) pertinent. Quatenus vero hae illarum nutrimentis, ut ita dicam, educatae sint, statuere possumus, si attributa personae ab Hermagora proposita comparaverimus cum eis, quae Anaximenes Aristotelesque et posteriores rhetores de inventione exhibuerunt; in quibus sunt auctor ad Herennium, Cicero, Quintilianus, Theo, postremo Hermogenes. Quae vero de personae attributis Hermagoras praeceperit, optime intellegi potest ex coniunctis Theonis (II 78 Sp.) cum Ciceronis (de inv. 24, 34) praeceptis. Ea, quae ad iudicialem tantum orationem pertinent, in tabula, quae sequitur, litteris obliquis significantur. Sed conferas ipsam tabulam.

Hermagoras (= Cic. de inv. I 34 sqq. + Theo 78)		Anaximen. (c. 3 et 35)	Aristoteles (I 5 et I 9)	auct. ad H. (III 6, 10 sqq.)	Cic. de inv. (II 59, 177 sqq.
nomen					
natura:					
sexus					
natio	1. γένος	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
patria		. . . . . .	. . . . . .	civitas	patria
cognatio:				genus	genus
maiores		εὐγένεια	εὐγένεια (c. 9)	. . . . . .	. . . . . .
consanguinei				. . . . . .	consan-[guinei
aetas	5. ἡλικία				
commoda [corporis:	2. φύσις				
valens		ῥώμη	ἰσχύς	vires	vires
longus		. . . . . .	μέγεθος	. . . . . .	. . . . . .
formosus		κάλλος	κάλλος	dignitas	dignitas
velox		. . . . . .	δύναμις ἀγ.(?)	velocitas	velocitas
. . . . . .		. . . . . .	ὑγίεια	valetudo	valetudo
. . . . . .		. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
commoda [animi[1]) . .					
victus:	3. ἀγωγή				
educatio		. . . . . .	παιδεία (c. 9)	educatio	. . . . . .
amici		. . . . . .	φίλοι	amicitia	amici
negotium [etc.[2])					
fortuna:	6. τύχη				
liber					
pecuniosus		πλοῦτος	χρήματα	divitiae	pecunia
cum potestate		. . . . . .	. . . . . .	potestas	potentia
felix		. . . . . .	(εὐτυχία)	. . . . . .	. . . . . .
clarus		. . . . . .	τιμή, δόξα	gloriae	honos
quales liberos [habet		. . . . . .	εὐτεκνία	. . . . . .	. . . . . .
mors	10. θάνατος	. . . . . .	. . . . . .	mors etc.	. . . . . .
[habitus	4. διάθεσις]				
(affectio)					
(studium)		. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
consilium	7. προαίρεσις	προαιρέσεις	προαίρεσις (c. 9)	. . . . . .	. . . . . .
facta	8. πρᾶξις	πράξεις	πράξεις (c. 9)	facta (8,15)	. . . . . .
casus	(τύχη)	. . . . . .	τύχη (c. 9)	. . . . . .	. . . . . .
orationes	9. λόγος	λόγοι	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .

[2]) *rei familiaris administratio, consuetudo domestica.*

[1]) commoda animi:

Anaximen.	Aristoteles	auct. ad H.	Cic. de inv.
σοφία	σοφία	prudentia	
δικαιοσύνη	δικαιοσύνη	iustitia	
ἀνδρία	ἀνδρία	fortitudo	
σωφροσύνη	σωφροσύνη	modestia	temperantia
	φρόνησις		
	ἐλευθεριότης		
	μεγαλοψυχία		
	πραότης		
	μεγαλοπρέπεια		

Cic. de orat. (II 43 sqq. et 341 sqq.)	Cic. part. or. (20, 69—23, 82)	Quintil. (III 7, 1 sqq.)	Theo. (II 109 sqq. Sp.)	Hermog. etc. (II 11 sqq.)
. . . .	. . . . . .	. . . . . .	ἔθνος	ἔθνος
. . . .	. . . . . .	patria	πόλις	πόλις
genus	genus	parentes maioresque	γονεῖς	γένος
. . . .	. . . . . .			
propinqui	. . . . . .	. . . . . .	ἄλλοι οἰκεῖοι	συγγένεια
vires	. . . . . . fortuna facultatesque	robur	ἰσχύς	ἰσχυρός
. . . .	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .	μέγας
forma	forma	pulchritudo	κάλλος	καλός
. . . .	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .	ταχύς
valetudo	. . . . . .	. . . . . .	ὑγίεια	. . . . . .
ingenium	. . . . . .	. . . . . .	εὐαισθησία	. . . . . .
. . . .	(educatus)	. . . . . .	παιδεία	. . . . . .
amici	amicitia	. . . . . .	φίλια	φίλοι
pecunia (divitiae B)	. . . .	divitiae	πλοῦτος	κτήματα
opes	. . . . cf. supra: „fortuna“	potestas	ἀρχή	(δυναστεία)
. . . .	. . . .	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
. . . .	. . . .	gratia	δόξα	. . . . . .
. . . .	. . . .	. . . . . .	εὐτεκνία	. . . . . .
. . . .	mors etc.	(mors etc.)	εὐθανασία	τελευτή κτέ.
. . . .	. . . .	. . . . . .	. . . . . .	(ἐπιτηδεύματα)
. . . .	(quid senserit)	. . . . . .	προαιρέσεις	. . . . . .
(quid fecerit)	(quid gesserit)	facta	πράξεις	πράξεις
(quid tulerit)	(quid acciderit)	. . . . . .	. . . . . .	τύχη
(eloquentia B)	(quid dixerit)	dicta	. . . . . .	. . . . . .
sapienter	1. actione 2. scientia cernitur virtus	. . . . . .	. . . . . .	σοφός
iuste		iustitia	δίκαιος	δίκαιος
fortiter		fortitudo	ἀνδρεῖος	ἀνδρεῖος
(sapienter?)		continentia	σώφρων	σώφρων
. . . . .			φρόνιμος	
liberaliter			ἐλευθέριος	
. . . . .		ceteraeque	μεγαλόφρων	
humaniter			φιλάνθρωπος	
magnifice			. . . . . .	
pie			ὅσιος	
grate			. . . . . .	

Ex hac tabula complura colligi posse mihi videntur, quae magni momenti sunt. Ac primum quidem statuendum est, attributa personae ab Hermagora haud multo plura afferri quam ab Aristotele; nam si ea, quae ad iudicium solum referenda sunt, excipis, velut nomen, sexum, quaestum, aetatem, alia, nihil fere relinquitur, nisi quod *γενεαλογία* amplificata est (sed etiam haec capita ad iudicium potius referri debent, in quo, quantum fuit Romanorum imperium, adhiberentur necesse erat) et fortuna; studium vero encomiis ab Hermogene demum inseritur, et voce habitus *(διάθεσις)* nihil aliud videtur designari nisi *ἕξις* Aristotelis, i. e. virtus. Et hac re ducimur ad aliam rem gravissimam. Commoda enim animi ab Hermagora allata admodum vana sunt atque parum accurata: „acutus, memor, comis, pudens, patiens". In his autem rebus laudatio maxime versatur; et huc revocanda sunt copiosa illa atque diversa virtutum schemata (appendice quodam tabulae annexa), id quod significatur propriis Ciceronis verbis (part. orat. 20, 69): „genus nullum est, in quo magis orator in cognitione virtutum vitiorumque versetur". Illud quoque dignum est memoratu, quod Hermagoras eadem corporis commoda affert, quae Aristoteles; idem dici potest de Hermogene, quippe cuius attributa omnino admodum accurate congruant cum Hermagorae attributis; accedit, quod solus rhetorum, quos exhibuerim, capite, quod inscribitur: *ἐπιτηδεύματα οἷον ποῖον ἐπετήδευσε βίον, φιλόσοφον ἢ ῥητορικὸν ἢ στρατιωτικόν,* Hermagorae illud „studium . . . ut philosophiae, poeticae" etc. renovat. Ceteri vero rhetores eandem plerumque silvam materiae praebent, selectam tamen; si vero discrepant, hac ipsa re optime significatur, quem locum teneant in tota perpetuitate rationum laudandi. Sed de his infra disseram.

Hoc modo illud in primis statuendum est ab Hermagora inventionem, ut ita dicam, encomiasticam nullo fere modo amplificatam esse; neque enim id quod novi affert, i. e. attributa personae recte et ratione disposita, ullius momenti fuit ad encomia excolenda; nam retinuerunt rhetores partitionem materiae Aristotelicam (ab Hermogene demum mutatam): *τὰ ἐν αὑτῷ ἀγαθά* (e. s. *τὰ περὶ ψυχὴν* et *τὰ ἐν σώματι*) et *τὰ ἐκτὸς ἀγαθά* Rhet. I 5, 1360 b 19 sqq. — sive tripartitam materiam praeferunt, sive bipartitam; sed etiam si illam exhibent, voces „res externae" vel aliae similes memoriam revocant huius partitionis Aristotelicae, quae rectius atque ad rationem magis accommodate proponitur.

Quoniam in universum ostendimus rationes materiae laudationibus subiectae easdem fere fuisse ab Aristotelis temporibus usque ad Romanam aetatem, ad singulas rationes laudandi perscrutandas atque comparandas accedamus; inter quas ex discrimine

et communitate in primis commodorum corporis animique et dispositionis intellegi potest, quae intercesserit ratio.

b) Auct. ad Her. III 6, 10 sqq. cum Cic. de inv. II 59, 177 sqq. comparatur.

Ac primum quidem comparamus praecepta materiae dividendae:

auct. ad Her.	Cic. de invent.
1. rex extraneae:	3. extrariae res[1]:
genus	genus 4.
educatio	. . . . .
divitiae	pecunia 2.
potestates	potentia 7.
gloriae	honos 1.
civitas	patria 6.
amicitiae	amici 5.
. . . . .	affinitas 3.
2. corporis res:	2. corporis:
vires	vires 3.
dignitas	dignitas 2.
velocitas	velocitas 4.
valetudo	valetudo 1.
3. animi virtutes:	1. animi est virtus:
prudentia	prudentia
iustitia	iustitia
fortitudo	fortitudo
modestia	temperantia

Facile ex hac tabula colligitur scriptorum illorum dividendae materiae praecepta inter se congruere; quod verbis interdum differunt, inde maxime repeti debet, quod ex Graeco sermone hae voces in Latinum versae sunt. Hic vero consensus eo maioris momenti est, cum a viro docto Marx (auct. ad Her. prolegg. p. 115. 119 sqq. 122. 161 sq.) sit expositum artes illas Latinis artibus interpositis ad Graecas τέχνας referendas esse rhetorum Rhodiorum, quibus inter ipsos de arte dicendi pugna erat. Utrumque enim in laudatione tractanda ex eodem fonte praecepta repetere veri admodum simile est. Sequitur, ut hic liber ante ipsam saltem litem illam doctorum Rhodiorum compositus sit, i. e. anno fere 150.; quin etiam, haud scio an ad ipsius Hermagorae artem, quam neglexisse orationem laudatoriam constat et ad quam auctor ad Herennium et Cicero spectant, hoc schema tenue atque simplex referendum sit. Quattuor enim tantum afferuntur

[1]) numeris ordo rerum, quem Cicero exhibet, significatur.

virtutes eaeque quattuor illae Socraticae (cf. Plat. Legg. I 631 B), quae in ipsis encomiis nobis occurrerunt apud Isocratem (Euag. 22 sq.), in Agathonis Amoris laudatione (Plat. Conv. 196 B sqq.), apud Anaximenem (82, 13; 83, 18 sqq.). Neque tamen recte Huerthius (p. 22) concludit continuam fuisse hanc formam encomii inde ab Anaximene usque ad Ciceronem. Huic enim sententiae illud contrarium est, cum quod Anaximenes minorem numerum rerum externarum et corporis exhibet, tum quod bona ab eo omnino secus disponuntur; virtute enim ea describit (80, 11). Bona vero tripartita, quod videam, primum apud Platonem nobis occurrunt (legg. III 667 B, quem locum etiam Huerthius p. 17 n. 3 exhibet): *ἀγαθὰ περὶ τὴν ψυχήν, περὶ τὸ σῶμα, περὶ τὴν οὐσίαν.* Similis est Aristotelis divisio (Rhet. I 5, 1360 b 24 sqq.; supra p. 102 commemorata), sed acutius descripta est (cf. etiam Wendland p. 55 cont. et n. 1). Denique putari possunt quattuor illae virtutes Stoicis auctoribus (a quibus Hermagoras haud alienus esse videtur) insertae esse; nam a Stoicis Socratis virtutum descriptionem constat receptam esse, cf. Diogen. Laert. VII 102; Dyroff, die Ethik der alt. Stoa (Berl. Stud. II; 1897) 80 sq. 82.

c) Quae ratio intercedat inter Ciceronis (de or. A = II 11, 43 sqq.) et Theonis (RhGr. II 109, 19 sqq. Sp.) praecepta.

Confero divisionem utriusque rationis:

Theon.	Cic. de oratore A.
τὰ ἔξωθεν:	extraneae res:
εὐγένεια	(genus)
1. *πόλεως*	. . . .
ἔθνους	. . . .
πολιτείας	. . . .
2. *γονέων*	genus 1.
ἄλλων οἰκείων	propinqui 3.
παιδεία	. . . .
φιλία	amici 4.
δόξα	. . . .
ἀρχή	opes 5.
πλοῦτος	pecuniae 2.
εὐτεκνία	. . . .
εὐθανασία	. . . .
τὰ σώματος	corporis:
ὑγίεια	valetudo 1.
ἰσχύς	vires 3.
κάλλος	forma 1.
εὐαισθησία	ingenium 4.

Theon.	Cic. de oratore A.
τὰ ψυχικὰ ἀγαθά:	. . . .
φρόνιμος σώφρων	sapienter 1.
δίκαιος	iuste 4.
ἀνδρεῖος	fortiter 3.
ὅσιος	pie 6.
ἐλευθέριος	liberaliter 2.
μεγαλόφρων	magnifice 5.
(φιλάνθρωπος p. 111, 19)	humaniter 5.
. . . .	grate 7.
(καὶ ὅσα τοσαῦτα)	(quid denique cum aliqua virtute fecerit)

Dispositio haec est:

Theon.	Cic. de orat. A.
1. εὐγένεια	(1. genus)
2. τὰ ἄλλα ἐκτὸς καὶ περὶ σῶμα ἀγαθά } φρονίμως αὐτοῖς ἐχρήσατο	2. quae sunt aut corporis aut extraneae res } bene rebus iis usum
3. πράξεις — secundum virtutes descriptae velut: ὅτι ἦν σώφρων προλέγειν καὶ εὐθὺς ἐπιφέρειν, τί αὐτῷ σωφρονητικὸν ἔργον πέπρακται . . .	3. deinde quid sapienter . . . quid liberaliter . . . . . . fecerit

Quas duas series si comparamus, admodum similes esse apparet. Quod extraneae res apud Ciceronem paucae afferuntur, non omnes vult complecti (cf. 46: ea sunt generis ... et ceterarum rerum), cum ex pressis Theonis verbis colligi possit eum omnes res enumerare sibi videri. Sed utut haec res se habet, illud apparet optime corporis et animi res congruere; cuius rei maxime mihi videtur proprium esse, quod vox „εὐαισθησία“ in vocem „ingenium“ versa est et quod adiectivis virtutes ubique significantur.

Ut divisio, sic dispositio eadem est; qua in re illud maxime velim teneas, quod *τὰ ἄλλα ἐκτὸς καὶ περὶ σῶμα ἀγαθὰ* ad boni usus rationem (*φρονίμως αὐτοῖς ἐχρήσατο*) revocantur.

Ciceronis igitur atque Theonis ad eandem artem spectare praecepta neminem putaverim infitias iturum; haud scio an auctor utriusque illius rationis Academiae recentiori attribuendus sit; nam ad Philonem (de Arnim, l. s. c.) vel ad Antiochum (Kroll, RhM. 58, 552 sqq.) maiorem partem librorum de oratore scriptorum referendam esse ferunt. Idem significatur ratione schematis, ut ita dicam, admodum eclectica, velut rerum, quae proponuntur, *εὐαισθησία* (cf. locos ab Hürthio p. 25 allatos), *κατορθώματα*

(Theo 111, 10; 112, 3), *εὐτεκνία* Stoicorum est; *εὐτεκνίας* iam Aristoteles mentionem facit (Rhet. I 5, 1360 b 20); eiusdem (Rhet. I 9, 1366 b 1 sqq.) memoriam movet variarum compositio virtutum; quae alia Aristotelis praecepta Theon respiciat, ex secunda tabula infra p. 111 allata colligas; hoc loco virtutum schemata tantum comparari velim:

Aristoteles	Theon (Cicero)	Aristoteles	Theon (Cicero)
δικαιοσύνη	*δίκαιος* 3.	*ἐλευθεριότης*	*ἐλευθέριος* 6.
ἀνδρία	*ἀνδρεῖος* 4.	*πραότης*	(*φιλάνθρωπος*)
σωφροσύνη	*σώφρων* 2.	*φρόνησις*	*φρόνιμος* 1.
μεγαλοπρέπεια	[magnificus]	*σοφία*	[sapienter]
μεγαλοψυχία	*μεγαλόφρων* 7.	. . . . . .	*ὅσιος* 5.

d) Comparantur Cic. de or. A (II 11, 43 sqq) et de or. B (II 84, 341 sqq.).

Praeter schema A Theonis praeceptis simillimum in libris, qui sunt de oratore instituendo, alterum schema B exstat in extrema de inveniendo expositione, qua, etsi fusius disseritur de virtutibus, dispositionis partes nonnisi breviter significantur. Ad hunc in primis locum id pertinet, quod Krollius (RhM. 58, 571 sq.) dicit Ciceronem materiam, quam congesserit, arte et ratione explicandis rebus quasi intexere id praecipue operam dantem, ne oratio delabatur ad praecipiendi ieiunitatem artium rhetoricarum, e quibus materia illa emanavit. Atque priore loco (A) etsi artis libri genus scribendi identidem cognosci potest, tamen interdum Ciceronem elocutionem perpolivisse et sententias conformasse apparet, velut, id quod nullo alio loco nobis occurrit, bona distribuit ratione ex Crassi quadam oratione scienter ducta in naturae fortunaeque bona atque in ea, quae ipsi sibi homines parent (i. e. virtutes). Idem invenitur loco B (342). Huc accedit, quod Cicero hoc loco suapte ingenii vi disceptat, quae ratio intercedat inter laudationes Graecorum et Romanorum. Quare id quoque puto posse contendi ne illa quidem, quae de virtute disputet, ex certis fontibus emanasse, sed ab ipso Cicerone originem ducere Graecorum scilicet praeceptis et dissertationibus ethicis uso. Nam descriptio illa virtutum (B), qua dividuntur in eas „quae in moribus hominum positae videntur“ et „quae in ingenii aliqua facultate“, ab Aristotelis Ethicis Nicomacheis (I 13) repetita videtur esse; quod autem eloquentiam virtutibus adnumerat, Stoicorum est (de or. I 18, 83; III 18, 65). Quodsi hoc modo hunc locum interpretamur, optime mihi videtur quasi illustrari id, quod p. 348 Cicero statuit: „si laudationes essent in oratorio officio,

quod nemo negat, oratori virtutum omnium cognitionem, sine qua laudatio effici non possit, esse necessariam". Hoc quoque modo optime contraria illa schemata virtutum (A et B) explicantur. Non vero negaverim totam hanc descriptionem ex Philonis vel Antiochi scriptis posse excerptam esse, sed illud solum velim animadvertas, cum ea pars encomiorum, quae virtutibus vacat, quasi campus sit, in quo schemata virtutum admodum diversa possint exsultare ipsa forma encomii haud mutata, anceps esse diversas virtutum descriptiones, praecipue Ciceronis, qui quattuor locis, ubi de encomiis disserit, quattuor schemata diversa exhibet (cf. Merchant, de Cic. part. orator. commentatio, diss. Berol. 1890 p. 50—56), ex diversis laudationum rationibus interpretari.

Quam rationem ad locos quoque, quos hic tractamus, explicandos admovere possumus; nam quamvis virtutum schemata haud congruant, tamen rationem encomii eandem esse ex hisce verbis comparatis apparet:

II 342: genus, forma, vires, opes, divitiae, quaeque fortuna dat aut extrinsecus aut corpori...	II 46: exponenda esse fortunae bona . . . ea sunt generis, pecuniae... ceterarum rerum, quae sunt aut corporis aut extraneae . . .
ipsa virtus in earum rerum usu ac moderatione maxime cernitur . . .	. . . si habuerit, bene rebus iis usum . . .

Quin etiam, compluribus praeceptis loci B idem sensus atque Theonis praeceptis est, id quod ex tabula p. 111 inserta intellegi potest.

c) De encomiorum schematis.

Supra schema laudationis ab auctore ad Herennium propositum praeterii, quia nondum erat, quocum comparari posset; nunc vero afferendum est:

1. genus
2. educatio
   corporis commoda } quomodo ab animo tractata sint [1] [2]
   res extraneae

[1]) Boni usus in Ciceronis quoque libris de inventione scriptis (II 59, 117) mentio fit: „videndum autem in laudando . . . oportebit non tam, quae in corpore aut in extraneis rebus habuerit is, de quo agetur, quam quo pacto his rebus usus sit . . ."

[2]) id schema, quod Huerthius p. 21 sq. ab auctore ad Herennium dicit proponi, emendandum mihi videtur esse; animi enim virtus non solum ad

3. facta (cf. „aliud fortiter factum esse“) notis illis quattuor virtutibus subiuncta;
4. mors mortemque consecuta.

Haec collocatio cum Theonis et Ciceronis dispositione, quae haec est:

1. genus
2. corporis et extraneae res } bene eis usum esse
3. facta virtutibus subiciuntur —

ubique congruit, nisi quod Cicero et Theon mortem non exhibent (sed hanc εὐθανασία spectare videtur) et παιδείαν, quamvis intractanda inventione Theon praebet, in dispositione uterque omittit; sequitur, ut non sit caput dispositionis.

Denique schema hic proponatur Quintiliani:

1. genus (et γένεσις) 10 sq. (= III 7, 10 sq.);
2. corpus 12. extra posita 12. } sed omnia non ideo laudantur, quod habuerit quis ea, sed quod iis honeste sit usus 13;
3. animi semper vera laus ... in species virtutum dividere laudem fortitudinis, iustitiae, continentiae ceterarumque, ac singulis adsignare, quae secundum quamque earum gesta erunt ... 15;

[4. tempus quod post finem est 17].

Hoc quoque schema eandem praebet rationem, quam cetera; etsi singula praecepta atque capita variantur, velut maior numerus corporis bonorum et extraneorum exhibetur vel virtutum schema aliud est (Quintilianus nonnisi virtutes Socraticas significare videtur), cum ratio in tribus artibus, quae inter se haud coniunctae sunt quaeque tempore longe inter se distant (e. s. 1. auct. ad Her. et Cic. de inv., 2. Theo et Cic. de orat., 3. Quintilianus), eadem sit, initium huius formae encomiasticae puto ab aetate iamdudum praeterita repetendum esse. Si vero recte haec conieci, perscrutandum quoque statim esse mihi videtur, quae ratio intercedat inter hanc formam laudationis et illas ab Aristotele discretas, i. e. ἔπαινον et ἐγκώμιον, vel, id quod idem est, inter encomia narrativum et descriptivum. Atque ἐπαίνου definitioni Aristotelicae optime congruit ratio illa laudandi, quam adhuc tractavimus:

---

externarum rerum, sed etiam corporis commodorum, quin etiam educationis bonum usum pertinet, cf. p. 265, 1: „commoda ... corporis aut rerum externarum, quomodo ab animo tractata sint“; deinde in educatione tractanda: „... honeste fuerit ...“; de corporis commodis: „... honestis exercitationibus comparata ... diligentia et temperantia cupiditatum ...“.

ἔστι δὲ ἔπαινος λόγος ἐμφανίζων μέγεθος ἀρετῆς — et virtus in eis, quas modo exposuimus, artibus non solum ipsa praedicatur, sed etiam in rerum externarum et corporis commodorum usu cernitur. Continua igitur progressio mihi videtur esse inde ab Amoris laudatione ab Agathone proposita ad Theseum et Nicoclem et Amatorium falso Demostheni attributum, ad Epaminondam, ad rationem fusius modo expositam.

Sed apparet formam illam paululum mutatam vel potius excultam esse. Nam etsi apud priores scriptores encomiasticos praeter virtutes alia quoque bona laudantur (Nicocles vero et Agesilai pars altera nonnisi virtutes praebent), velut *κάλλος* ab Agathone et ab auctore amatorii, *εὐγένεια, ῥώμη, κάλλος, πλοῦτος* ab Anaximene afferuntur, etiam plura Aristoteles (c. 5) exhibet, tamen omnia haec bona Anaximenes recte dicit clam inseri (*κλέπτεται*); et hoc ipsum ex encomii ratione, quippe quae solam ad virtutem pertineat, quasi excidit. Quare posteriores rhetores hanc rationem nonnisi constanter videntur persecuti esse, cum etiam haec bona ad virtutem referrent, ita ut eum, quem laudarent, bene iis usum esse pronuntiarent. Hoc vero caput, quo tempore rationi insertum sit, ferme describere possumus; optime enim Huerthius (p. 24) bonum usum ad Stoicos revocat, „quos vehementer de hac re disputasse constat". Sed etiam is locus afferendus est, quem ille respuit, [Aristot.] Magn. Moral. I 2, 1183 b 30 sqq.: *ἔστι δὲ τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν τίμια, τὰ δὲ ἐπαινετά, τὰ δὲ δυνάμεις . . . τὰ δὲ δυνάμεις οἷον ἀρχή, πλοῦτος, ἰσχύς, κάλλος· τούτοις γὰρ καὶ ὁ σπουδαῖος εὖ ἂν δύνηται χρήσασθαι καὶ ὁ φαῦλος κακῶς, διὸ δυνάμει τὰ τοιαῦτα καλοῦνται ἀγαθά. ἀγαθὰ μὲν δή εἰσιν· δοκιμάζεται γὰρ τῇ τοῦ σπουδαίου αὐτῶν ἑκάστου χρήσει, οὐ τῇ τοῦ φαύλου* . . . Denique illa quoque proferantur, quae Stephanus ad encomii definitionem Ethicis Nicomacheis allatam (*τὰ ἐγκώμια τῶν ἔργων ὁμοίως τῶν σωματικῶν καὶ τῶν ψυχικῶν*) adnotat (comment. ad Aristot. Graeca XX 107, 30): *τὰ γὰρ διὰ τοῦ σώματος κατορθούμενα ταῖς ἀγαθαῖς τῆς ψυχῆς ἕξεσι καὶ αὐτὰ ἐπιγράφεται, ὡς αὐτῆς χρωμένης ὀρθῶς τῷ σώματι* . . .

Denique praeter haec una re *ἔπαινος* et haec forma rhetorum Latinorum inter se differunt. Ab Aristotele enim ab epaeno *παιδείαν* certe, fortasse etiam *εὐγένειαν* secludi supra (p. 86) ostendi; haec vero forma ea exhibet. Quae e laudatione biographica eam recepisse verisimile est. Atque *εὐγένειαν* semper exhibent illi rhetores, *παιδείαν* vero plerumque omittunt; nam quamvis auctor ad Her. eam et inventionem encomii tractans afferat et collocationi inserat, in Ciceronis libris de inventione et de oratore compositis omnino desideratur; neque vero a Theone, etsi affertur, capitibus

dispositionis tribuitur. Denique Quintilianus, qui et inveniendi et collocandi praecepta in unum confundit, ne mentionem quidem fecit eius. Sequitur, ut leviter tantum *παιδεία* huic laudationis speciei sit annexa (non, ut in laudatione narrativa, arte schemati inserta), ita ut dici possit propriam *ἐπαίνου* naturam hac specie servatam esse.

Hactenus de epaeno. Encomii vero rationem horum rhetorum solus Quintilianus exhibet, Cicero in libro de partitionibus oratoriis scripto leviter tantum tangit (cf. quae infra de hac re disseram, p. 115). Atque Quintiliani schema laudationis supra allatum (p. 108) cum aliis, velut Ciceronis, totum congruit. Unum vero dignum est, quod commemorem, quod caput encomii significans oratori arbitrium permittit eligendi inter virtutes et rationem biographicam. Sed cum hoc praecipiat: „alias aetatis gradus gestarumque rerum sequi speciosius fuit, ut in primis annis laudetur indoles, tum disciplina, post hoc operum, id est factorum dictorumque contextus, alias in species virtutum dividere laudem . . .“, dissimilia componit: nam hoc nonnisi caput quoddam laudationis est, illud vero totum schema biographicum efficit, quod ipsum per se stat (velut memoriam movet Alcibiadis encomii). Inde vero colligi potest Quintilianum perperam sentire de hac forma, ita ut appareat eius aetate eam non iam exstitisse.

Idem praebet Theonis definitio encomii, quam ex Aristotelis *ἐπαίνου* et *ἐγκωμίου* definitionibus contractum esse apertum est. Ne Theonis quidem auctor (qui ante Ciceronem quoque fuisse putandus est, cf. p. 104 sqq.) encomium biographicum novit, ita ut supervacaneae ei videantur esse species illae subtiliter distinctae, praesertim cum utraque *ἀρετὴν* spectet (Rhet. I 9, 1367 b 32 et 33 sq.), utraque *πράξεις* contineat (1367 b 27 sqq. et 21). Confundit igitur:

ἔστιν δ' ἔπαινος λόγος ἐμφανίζων μέγεθος ἀρετῆς

et:

ἐγκώμιον τῶν ἔργων ἐστίν

ita, ut efficiat:

ἐγκώμιόν ἐστι **λόγος ἐμφανίζων μέγεθος** *τῶν* **κατ' ἀρετὴν** *πράξεων . . .*

Cum apertum sit hanc definitionem ad Aristotelis artem rhetoricam referendam esse, non miraberis, quod etiam plura Aristotelis praecepta in Theonis et Ciceronis artibus servata sunt. Neque vero haec afferre esset operae pretium, nisi inde bene intellegi posset, quae ratio intercederet inter singulas illas artes rhetoricas vel praecepta; quae illud spectantes melius discernere poterimus.

[conferas tabulam sequentem.]

Aristoteles	Cicero	Theon	Quintilianus
I 9, 1367 a 27 sqq.			III 7, 23 sqq.
68 a 10 sq.: εἰ μόνος ἢ πρῶτος	II 85, 347: res genere ipso singulares, novitate primae	110, 21 sq.: καὶ εἰ μόνος ἔπραξέ τις ἢ πρῶτος	16: quae solus quis aut primus
ἢ μετ' ὀλίγων		110, 23: ἢ μετ' ὀλίγων	aut certe cum paucis fecisse videtur,
67 a 3 sqq.: καὶ ὅσα μὴ αὑτοῦ ἕνεκα πράττει τις . . . καὶ ὅσα ἔργα τῶν ἄλλων ἕνεκα . . . κϑἑ.	346: quae suscepta videntur a viris fortibus sine emolumento ac praemio ...	110, 23 sq.: ἢ παρὰ τὴν ἐλπίδα . . . 15 sq.: καὶ ἃς ἄλλων ἕνεκα καὶ μὴ ἑαυτῶν πράττομεν	si quid praeterea supra spem . . . praecipue quod aliena potius causa quam sua
68 a 11: ἢ καὶ μάλιστα	347: res magnitudine praestabiles		
68 a 12: καὶ τὰ ἐκ τῶν χρόνων καὶ τῶν καιρῶν		110, 21: ἐπαινεταὶ ... εἰσὶν καὶ αἱ πράξεις αἱ διὰ τὸν καιρὸν	
68 a 21: δεῖ δὲ πρὸς ἐνδόξους συγκρίνειν ...	348: est etiam cum ceteris praestantibus viris comparatio . . .	111, 1 sqq.: οὐκ ἄχρηστον δὲ καὶ τὸ μνημονεύειν τῶν ἤδη δεδοξασμένων ἀντιπαραβάλλοντα ἐκείνων τὰ ἔργα πρὸς τὰ τῶν ἐγκωμιαζομένων . . .	
	346: . . cum labore et periculo ipsorum. .	110, 24: . . . μετὰ πόνων . . .	
cf. 66 b 37 sq.: καὶ ὅσα ὑπὲρ τῆς πατρίδος τις ἐποίησεν παριδὼν τὸ ἑαυτοῦ . . .	346: . . . ea virtus praestantis viri, quae est fructuosa aliis, ipsi aut laboriosa aut periculosa . . .	110, 17 sq.: καὶ ἐφ' ὧν ὁ μὲν πόνος ἴδιος, ἡ δὲ ὠφέλεια κοινή ...	
[Anaxim. 83,7: δεῖ δὲ καὶ εἰκάζοντα τὰς πράξεις αὔξων ὧδε . . . ἀγαπήσει . . .]		110, 27 sq.: χρήσιμον δὲ καὶ τὸ εἰκάζειν ἐκ τῶν παρεληλυθότων τὰ μέλλοντα	
67 b 15 sq.: εὐτυχῶν μέτριος	342: non se praetulisse aliis propter abundantiam fortunae . . .	111, 18 sq.: εὐτυχῶν μέτριος ἦν καὶ φιλάνθρωπος . . .	
67 b 16: ἀτυχῶν μεγαλόψυχος . . .	346: tulisse casus sapienter adversos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem . . .	111, 22 sq.: ἀτυχῶν ταπεινὸς οὐκ ἦν οὐδὲ πενόμενος ἄδικος οὐδὲ δεόμενος ἀνδραποδώδης . . .	
68 a 27: τὰς πράξεις ὁμολογουμένας λαμβάνειν . . .	347: res gestae iudiciis hominum comprobatae		

Ex hac quoque tabula complures colligi possunt res, quas alicuius momenti esse putaverim. In primis confirmatur consensus rationum Ciceronis (et loci A et loci B) et Theonis; huc accedit, ut cognosci possit clarius Ciceronis ars praeceptorum pluribus

verbis explicandorum, ne librorum artis in genus scribendi incidat; velut cf. II 46: „haec et, quae sunt eius generis, facile videbit, qui volet laudare et qui vituperare, contraria“ vel II 349: „iam vituperandi praecepta ex vitiis sumenda esse perspicuomst“, cum locis similibus ipsorum artis librorum, velut Theonis (II 112, 17 sq.): *ἐκ μὲν τούτων ἐπαινεσόμεθα, ψέξομεν δὲ ἐκ τῶν ἐναντίων*; — hac vero Ciceronis ratione difficilior fit fontium investigatio. Verumtamen illud apparet omnia illa praecepta, quae Ciceroni cum Theone communia sunt, ex Aristotelis arte rhetorica sumpta esse. Haec vero Aristotelica desunt in auctoris ad Herenn. et Ciceronis priore artibus rhetoricis. Horum ratio, quae simplicissima sit, ad Hermagorae artem referri debere verisimile esse supra (p. 103) significavi. Considerantibus enim nobis Hermagoram encomiis excolendis minime studuisse probabile fit meram laudationis formam ab eo receptam esse, ita ut rationem, quam illi scriptores exhibent, antiquissimam esse recte putaverim me conicere.

Desunt vero Aristotelica etiam in partitionibus oratoriis; maxime igitur propria ea sunt rationis Ciceronis et Theonis et admodum apta, quibus horum fons indagetur. Vix enim alio modo illa praecepta in usitatam laudandi rationem indita esse putari possunt, nisi Peripateticis ipsis inserentibus. Nam quotusquisque est saeculis illis, qui alii philosophorum vel rhetorum sectae addictus Aristotelem sequatur? Ex Peripatetica vero disciplina ad Academicam translata (cf. ad hanc Peripateticorum et Academicorum consuetudinem Arnim p. 89) et inde a Cicerone et Theone recepta esse videntur, cum materia libris de oratore scriptis subiecta ad Philonem vel Antiochum in primis referenda sit. Quamquam vere Peripatetica dicenda est haec ratio, praeceptis, virtutum schematis, definitione Theonis comparatis.

Postremo Quintiliani fiat mentio, qui eandem formam praebeat atque ceteri et ipse quoque praecepta Aristotelica afferat; sed cum partim eadem partim alia proponat (velut III 7, 23 sq. = Aristot. Rhet. I 9, 1367 a 27 sqq.) et omnia haec ex Caecilio Caleactino eum sumpsisse Angermannus (de Aristotele auctore rhetorum, diss. Lips. 1904, p. 38 sqq.) demonstraverit, ad eundem fontem, ad quem Cicero et Theo, Quintilianus spectare haud putandus est.

Neque vero de uno loco admodum gravi adhuc disseruimus:

f) De partition. orat. 20, 69—23, 82.

Finibus trium generum dicendi descriptis primum Cicero in universum disputat de rationibus laudandi; deinde exponit, quomodo oratio exornanda sit. Denique (74) ad ipsam materiam tractandam

transit, ita ut bona in externa, corporis, animi, ut fieri solet, dividat. Eadem quae supra („omnia sunt laudanda, quae coniuncta cum virtute sunt“ 72) virtutis ratio significatur etiam in corporis bonis laudandis: „... in quibus, quod quasi virtutem maxime significat, facillime forma laudatur“ (74). Deinde mentio fit factorum, non tamen ita ut illa dispositio proponatur, quae semper adhuc nobis occurrit (cf. Cic. de or. II 345 exit.: „res gestae ad quoiusque virtutis genus et vim et nomen accommodabuntur“), sed ita ut tres collocationes diversae exhibeantur, quarum gravissimae sunt prima et tertia: „aut temporum servandus ordo est ... aut multa et varia facta in propria virtutum genera sunt dirigenda“ (cf. etiam 4, 12: „... aut temporum servantur gradus, aut generum distributiones ...“; tertia et quarta, quae ibidem commemorantur, collocationes tam obscurae sunt quam secunda paragraphi 75.; tertiae vero similis est ea, quam Syrianus exhibet, II 73, 16 sqq.). Laudatio autem, quae secundum primam collocationem composita est, nihil aliud est nisi encomium narrativum vel ἐγκώμιον Aristotelicum vel encomium biographicum; verumtamen tantum commemoratur. Nam Cicero ei generum praefert distributionem. Proponit enim schema virtutum, quod etsi Panaetium secutus in duas partes divisit, *θεωρητικὴν* (= in scientia positam) et *πρακτικὴν ἀρετήν* (= in agendo eius est munus 76), tamen suo iudicio ipse excoluit (cf. Merchant p. 50 sqq.); sequitur, ut nullius momenti hoc schema sit ad laudandi rationem perscrutandam. Illud tamen gravissimum esse puto, quod Cicero in exeunte capite 23. (82.) formam quandam affert, quae contraria videtur esse ei, quam superiore loco (74 sq.) exhibuit. Haec est illa collocatio:

1. quemadmodum quisque generatus,
2. quemadmodum educatus,
3. quemadmodum institutus moratusque fuerit,
4. et si quid cui magnum et incredibile acciderit, maximeque si id divinitus accidisse potuerit videri,
5. tum quae quisque senserit, dixerit, gesserit ad ea, quae proposita sunt, virtutum genera accommodabuntur ...
6. neque mors ... silentio praeteriri debebit ...

Iam supra (p. 97) hoc schema significavi, cum de Nepotis Epaminonda dissererem. Nunc accuratius duos hos locos comparabo.

Nepotem, quem exscripsit, libellum magnopere contraxisse (Leo 211; Ep. 4, 6) non modo ex exiguo virtutum numero, sed etiam inde colligi potest, quod partem dispositionis in ipsa tractatione omisit: „... (3) et si qua alia memoria digna sunt“; post *ἐπιτηδεύματα* (c. 3), ut Graecis utar artis vocabulis, ad ipsas *πράξεις* virtutibus scilicet subiunctas transit (cap. 4 sqq.); initium enim

capitis 4.: „tentata autem eius abstinentia“ excipere videtur verba, quibus ipsis quoque abstinentia significata erat. In dispositione autem desideratur mors, quae c. 9. tractatur.

Ceterum tractatio non modo cum dispositione primo proposita convenit, sed etiam cum schemate, quod in partitionibus oratoriis Cicero exhibet, id quod ex hac tabula potest intellegi:

part. orat.	Nepotis dispos.	Nepotis tractat.
1. generatus	de genere	c. 2, 1: genere honesto...
2. educatus	quibus disciplinis et a quibus sit eruditus	c. 2, 2 sqq.: eruditus
3. institutus moratusque	de moribus ingeniique facultatibus	c. 3: animi bona
4. si quid cui magnum aut incredibile acciderit...	si qua alia memoria digna sunt	[deest!]
5. quae senserit, dixerit, gesserit, ad ea quae proposita sunt virtutum genera accommodabuntur	de rebus gestis, quae a plurimis animi anteponuntur (— accommodantur, cf. supra p. 97) virtutibus	c. 4 sqq.: abstinentia eloquentia patientia
6. mors	[deest!]	c. 9. — [c. 10. Nepos transit ad vitam XVI., cf. Leo 209]

Et schemata partitionum oratoriarum atque Nepotis congruunt, neque Nepos alias virtutes affert nisi eas, quae in Ciceronis schemate (76 sqq.; cf. 5: „ea quae proposita sunt“) finitimae sunt et se invicem excipiunt, cf. 22, 77: „ab iis, quae in potestate sunt, abstinendo ... quae, quod iam adest, tolerat et perfert, patientia nominatur“ et 23, 78: „... quae virtus omnis in ratione scientiaque disputandi sita est, altera autem oratoria“; easdem exhibet Cornelius: patientiae et abstinentiae adiungitur eloquentia, quae dividitur in brevitatem respondendi (cf. supra: „disputandi“) et perpetuam orationem (cf. supra: „oratoriam“) cap. 5, 1.

Quin etiam si Nepotis laudationem accurate perscrutatus eris, facile difficultatem tolli intellegis, quae orta est ex diversitate, quae videtur esse inter duo illa schemata in partitionibus oratoriis allata. Tripartitio enim bonorum (part. orat. 22, 74) etiam ex Epaminondae laudatione quasi perlucet. Conferas c. 3, 2: „ad hanc corporis firmitatem“; haec autem verba respiciunt vires et velocitatem c. 2, 4 sq. tractatas; quae etsi non a Cicerone in partitionibus oratoriis exhibentur, tamen saepe encomiorum propria esse dicuntur, velut apud auctorem ad Her. III 7, 14. Capite 3. illustrantur bona animi, sed etiam externae res proponuntur, cf. 3, 4: „paupertatem“, 3, 4 sqq.: „amicos“; quodsi hae animi

bonis subiciuntur, hoc idem est, quod Cicero praecipit in libris de oratore scriptis (II 11, 46): „si habuerit, bene iis usum esse“ vel auctor ad Her. (p. 265, 1): „commoda corporis aut rerum externarum, quomodo ab animo tractata sint“. Postremo exponuntur virtutes. Non igitur partes illae bonorum leviter conectuntur, sed arte et ratione toti laudationi intexuntur; et hunc esse sensum huius totius loci (part. or. 23, 82) Pideritius bene ostendit (cf. ea quae in editis part. or. (Lipsiae 1867) ad § 82 p. 67 adnotavit): „sed in toto quasi contextu haec sunt illustranda maxime . . .“. Sic facile difficultas illa tollitur: cum superiore loco (74 sqq.) ratio encomii acute describatur atque ipsa encomii materia arte et ratione distribuatur, hoc loco (82) forma laudationis proponitur exculta et perpolita et ad usum accommodata. Atque eodem modo mihi quidem videntur interpretandae esse collocationes, quas ceterae, quas tractavimus, artes exhibent: dispositio accurate et ratione describitur et partibus distribuitur, ipsa vero tractatio magis, ut ita dicam, rotunda atque concinna est, variante scilicet virtutum schemate ita, ut quisque rhetorum virtutes descripsit.

Sed cum encomium virtutibus dispositum effloresceret et late pateret, laudationis biographicae vis in dies minuebatur. Circa annum a. Chr. n. 150. vigebat, id quod ex Polybii Philopoemenis et Matridis Herculis laudationibus efficitur, sed rhetorum Latinorum nemo eam commemorat nisi Cicero (part. or. 4, 12 et 21, 75) et Quintilianus (III 7, 15). Ut hi duo loci quasi reliquiae sunt encomii biographici, sic quibusdam rebus futura progressio encomii descriptivi significatur. Huc referenda sunt *ἐπιτηδεύματα* (mores ingeniique facultates, Nep. Epam.) et *τύχη* (si quid cui magnum aut incredibile acciderit, part. orat. 23, 82). Quintilianus quoque complures res excolendo mutavit et amplificavit, velut totam materiam dividit in tres partes: ante hominem, in homine (huic parti subiciuntur bona tripartita), post hominem. Et haec capita apud posteriores scriptores sollemnia sunt, velut apud Hermogenem, quique eum secuti sunt rhetores.

g) Repetitio et recapitulatio.

Supra ostendimus iam ab initio encomiis prosae orationis latuisse rationes illas specierum narrativae et descriptivae. Huc pertinent in primis Agathonis amoris, Isocratis Alcibiadis, Thesei, Euagorae, aliorum laudationes. Tum Isocrates nova quoque conformavit encomia; neque vero plus valebant in posterum, quam id quod Xenophon conatus est encomiorum duas illas species una forma coniungere; idem obvenit Anaximeni Lampsaceno, qui arte

et ratione eas in unum conflavit. Species illas potius tum seclusas fuisse Aristoteles ostendit, cum inter *ἔπαινον* et *ἐγκώμιον* diligenter discernat. Quod *ἔπαινον* praefert (cf. supra p. 83 et p. 87), recte eum praetulisse ipsa encomiorum progressione confirmatur: *ἐγκώμιον* enim sensim loco depulsum est *ἐπαίνῳ*, qui latius patebat. Cuius structura inde ab Aristotelis aetate eadem fere videtur fuisse. Materia enim dividitur in externa, corporis, animi commoda, quorum haec (e. s. virtutes) ubique dominantur; nam cernuntur usu quoque externorum et corporis commodorum. Cum Anaximenes de his disponendis iudicet: *κλέπτεται*, quia *ἔξω τῆς ἀρετῆς ἀγαθὰ* sunt, apud Aristotelem iam exstant indicia „boni usus", apud posteros plurimum hic valet ad disponenda encomia. Neque tamen semper hae tres partes instar collocationis fuisse videntur, sed capita tantum materiae putanda sunt; primum vero locum tenent vetera illa dispositionis capita (partim ipsius *ἐπαίνου* propria, partim ad *ἔπαινον* ab *ἐγκωμίῳ* delata): *γένος, (παιδεία,) ἐπιτηδεύματα, πράξεις* (cf. partit. orat.).

Hactenus de eis, quae communia sunt artibus inde ab Aristotele usque ad Romanam aetatem conscriptis. Discernuntur vero hae rationes varietate singularum rerum, quas exhibent: externorum et corporis commodorum et virtutum enumerationum. Sed illa minus eminent, quam ut inde facile colligatur, quae ratio intercedat inter singulas artes, neque ex virtutum schematis, etsi bene eis significantur variae laudandi facultates, potest intellegi, unde originem ducant, cum ex diversis ethicis disciplinis sumpta inter se confundantur et misceantur. Fontes igitur perscrutatus nonnisi in universum quattuor rationes significare possum:

1. Hermagoream, simplicissimam, ad quam auctor ad Her. et Cicero (in libris de inv.) spectant;

2. Peripateticam, quae a Cicerone et Theone affertur;

3. Academicam; ad novam enim Academiam, ut totus liber de part. orat. scriptus, sic ratio quoque laudandi, quam exhibet, referenda est; et huc fortasse etiam Nepotis Epaminondas pertinet;

4. Quintiliani ratio, quo spectet, non inveni. — Quartae et tertiae rationum id maxime proprium est, quod encomium biographicum non iam usitatum exhibent. Sed hic rationum nexus minoris momenti mihi videtur esse quam res illae omnibus communes, quarum summa in eo posita est, quod encomium virtutibus dispositum ab Aristotele iam praedicatum illa aetate dominatur encomio narrativo depulso.

C. Conclusio.

Opprobrio mihi dare potes, quod, quamvis propositum huius dissertationis „Encomiorum usque ad Romanam aetatem historia" unum et simplex esse videatur, tamen ipsa tractatio in diversa digrediatur neque omnes quaestiones absolvantur. Quod in encomiorum poeticorum historia explicanda facile excusabis: nam si totam hanc explicare vis, totum libellum efficere potes; accedit, quod has quaestiones, quae multiplices eaedemque difficillimae sint, in universum absolvere et comprehendere supra tironis vires est. Quare satis habui demonstrare, quid omnino sit ἐγκώμιον, et capita quaedam explicare conans (velut rationem fabularum electarum, interiorem encomiorum structuram, partes materiae encomiis subiectae) disserere de origine encomiorum, de provincia encomiorum paulatim amplificata, de rebus, et quae Pindari et Bacchylidis carminum communes sunt, et quibus inter se differunt.

Idem encomiorum prosae orationis historiam enarranti mihi opprobrio dare potes. Sed hic litteris potius inaequaliter traditis factum esse puto, ut tractatio non aequalis et simplex fieret. Nam cum encomiis, quae ante annum a. Chr. n. 300. composita sunt, traditis paene abundemus, encomia post hunc annum scripta pauca eaque minime integra adhuc exstant. Contra ratio encomiorum ante annum a. Ch. n. 300. non nisi duabus artibus rhetoricis exhibetur, cum post hanc aetatem satis plene a multis rhetoribus Romanis Graeca scilicet exempla imitantibus tradatur. Idcirco a primo id egi, ut in prioris aetatis encomiorum historia tractanda de singulis encomiis servatis accurate agerem, in posteriorum vero temporum encomiorum historia enarranda rationem in primis premerem; hoc autem eo magis fieri poterat, cum hanc rationem rhetorum optime congruere cum ipsa encomiorum tractatione et usu identidem ostenderim. Et has omnes quaestiones perpendens aliud quiddam animadverti, quod summi momenti esse putaverim: Aristotelis ratione encomiastica quasi coniungi encomiorum litteras prioris et posterioris aetatum et ab initio fere formas quasdam laudationum quasi normas fuisse encomiorum formandorum, quod

ipsum causae fuit, cur in artibus rhetoricis illae exhiberentur. Denique etiam encomia prosae orationis encomiis poeticis annectere conatus sum, cum identidem viri docti affirmavissent illa inter se cohaerere.

Denique quod nonnisi usque ad aetatem Romanam encomiorum historiam enarravi, jam supra p. 1 haec exposui; spero autem posteriore tempore aliquando posse fieri, ut encomiorum historiam narrando et melius explicem et amplificando conficiam.

Conspectus libelli.

Index rerum notabilium.

Index locorum notabilium.

Locus emendandus.

p. 9 ult. lin. cont.: pro 234 legendum 243.

Typis expressit Robertus Noske Bornensis.

Vita.

Georgius Gerhardus Fraustadt Daleminciae in oppidulo Saxoniae Alberto patre parocho, matre Catharina e gente Franz natus sum Kal. Nov. anni proximi saeculi LXXXV; fidem profiteor evangelicam Lutheri. Daleminciae primos vitae annos degi et ab anno XCII in ludo publico qui vocatur medio litteris elementariis imbutus sum. Deinde partim a patre partim a magistris separatae cujusdam scholae, quae selecta dicebatur, lingua Latina institutus anno XCVIII in quartam classem progymnasii Grimensis intravi. Anno post Misnae certamine, quod dicitur, superato scholae regiae Afranae in tertiam classem intravi. Studiis deinde continuis et severa scholae provincialis disciplina per sex annos usus sum. Anno huius saeculi V ex hac schola mihi admodum cara discessi eodem fere tempore quo rector, Hermannus Peter, qui per sexennium illud studiorum mihi erat fautor benevolus quemque semper pio atque grato animo colam. Deinde Friburgiae in urbe Brisgaviae per totum semestre aestivum versatus sum corpus et animum relaxans; frequentavi ibidem scholas virorum doctorum Finke, Kluge, Lommatzsch, Puchstein, Rickert, Simson, B. Schmidt. Tum semestri brumali ineunte hanc ipsam in universitatem Lipsiensem me contuli. Hic primum philosophiae et historiae studiis deditus eram; verumtamen philologici quoque proseminarii per duo semestria sodalis fui praeside Immischio. Deinde totum ad philologiam me converti id thema tractans, quod propositum erat ab ordine philosophorum Lipsiensi anno VI: Encomiorum in litteris Graecis historia usque ad Romanam saltem aetatem enarretur; qua ex dissertatione hic libellus dilatando et accuratius explicando effectus est. Anno VII in seminarium philologicum receptus sum, cui per duo semestria interfui. Docuerunt me Lipsiae viri docti Barth, Bethe, Brahn, Brugmann, R. Heinze, Immisch, Jungmann, Kirn, Köster, Kötzschke, Lamprecht, Lipsius, Marx, Seeliger, Sievers, Studniczka, Wilcken, Wundt. Quibus omnibus praeceptoribus multum debeo; in primis vero Immischio, Lipsio, Bethio, qui pro sua quisque doctrina et humanitate me adiuverunt et provexerunt, gratiam habeo maximam.